

cardelus et *Ἀστραγάλινος* c., tamen non neglegendum censeo apud Aristotelem (l. c. VIII 5, 4; IX 14, 2) voce *Ἀκανθυλλίς* avium genus paris simile significari. Quod *κορυδαλλός* latine *bardala* redditur (cf. II 28, 25; 353, 49; III 90, 9/10; 361, 14; 20), hoc Thompsoni ex *parrula* errore librarii ortum esse videtur, quod credi vix potest; fuit cum de *bardula* (a *bardus*) cogitarem, quod nomen iocosum non male ad mores aviculae illius quadraret. Avem, ad quam spectat glossa II 347, 12, apud Plinium X 109 *tinnungulum*, alibi sicut in illa glossa *titiunculum* audire Thompson (p. 21) monet; utrumque nomen a vocis acuto sonitu fictum esse (cf. *tinnire*) mihi probabilius videtur quam a *titio* vel *titus* derivatum, ut v. d. vult (fortasse etiam glossa *titiensis clangor*, de qua supra dictum est, huc recte trahitur; cf. Walde, 'Etymol. Wörterb.' s. v. *Titulus*); ceterum quae sint aves intellegendae, dubium esse non potest. Sed haec hactenus.

II. DE GLOSSIS FESTINIS

Quaestio de Festina quarundam glossarum origine multis obstructa est difficultatibus, quarum maxima in eo posita est, quod prior librorum de verborum significato pars ad litteras A—L pertinens omnino interiit, partis posterioris quae servata sunt, ea satis amplis scatent lacunis. Habemus quidem totius operis epitomen a Paulo Diacono confectam, sed ab illo alia ommissa, alia contracta, nonnulla plus minus mutata esse elucet ex comparatione earum partium, quae aut integrae aut paene integrae servatae sunt. Ab his igitur qui admodum firmo niti vult fundamento, proficisci debet, sicut profectus est Lindsay (Anc. l.) eas primo loco tractans glossas, quae ad litteras N Q R S referri posse ei visae sunt. Maioris autem momenti sunt, quarum lemmata a litteris N et Q incipiunt, quia talis Festinarum reliquiarum in his particulis condicio est, ut quid apud Festum exstiterit, nullo modo possit esse dubium. Iam videamus quae glossae ad Festum revocari possint. Legitur IV 123, 45/46 haec glossa *Nequinunt pro nequeunt, ut <solinunt pro> solent*. '*Nequi- <n, unt Graeciam redire>*' (= AA V 467, 60/61), quae quam proxime ad Fest. 162, 24 accedit *Nequinunt pro nequeunt, ut solinunt, ferinunt pro solent et feriunt dicebant antiqui*. Livius in *Odissia* '*partim errant nequinunt Graeciam redire*'. Porro IV 123, 6 *Nectere ligare* conferri potest cum F. 165, 2 *Nectere ligare significat* etc., et IV 124, 34 *Nectar potio deorum* (cf. Ampl.² V 313, 1; Cant. N 75) cum F. 165, 6 *Nectar graece significat potionem deorum* etc. Quas tres glossas si quis ex Festo desumptas esse contenderit, omnium facile habebit assensionem. Sed alias praeterea glossas ad Festum revocandas esse et sibi persuasit et nobis

persuadere vult v. d. Huc pertinet glossa IV 122, 52a *Nenias deleramenta. sed proprie neniae carmen funebre* (cf. 123, 37; 124, 3 et 5; cod. Paris. V 119, 43; A A V 467, 52—54; cod. Sang. IV 261, 39; Ampl.¹ V 374, 1; Cant. N 54); comparat L. F. 161, 13 *Naenia est carmen, quod in funere laudandi gratia cantatur ad tibiam* etc. Quae adeo diversa sunt ab illa glossa, ut summa de huius origine Festina oriatur dubitatio; accedit quod glossa ad certum nescio cuius auctoris spectat locum, ubi erat accusativus numeri pluralis (quo de v. GL I 33, 17; V 428, 11), cum apud F. numerus singularis exhibeatur; confirmatur haec sententia, eo quod significationi, quae illi loco adscribitur, propria et vulgaris opponitur. Quae cum ita sint, tantum abest, ut glossam ad Festum revocemus, ut propriam scholii brevissimi formam agnoscamus, qualis alibi quoque in his glossis cernitur. Similiter in aliis glossis, quas ad F. referendas esse L. censet, rem se habere consentaneum est. Velut IV 123, 39 exstat glossa vix integra haec *Necturi oculorum frequentia* (= A A V 467, 44 = Vat. 1468 V 507, 51), quam cod. Sang. IV 261, 37 exhibet sic *Necturi oculorum frequentia aperiri*, L. emendare studet hoc modo *Nictari oculorum frequenti apertione*. Quodsi ultima recte restituit v. d., interpretatio non ad verbum *Nictari*, sed ad substantivum *Nictu* pertinet, quam formam apud Caecilium habemus, quem Festus laudat. Minime vero glossa ex Festi adnotatione derivari potest, qui scribit 177, 7 *Nictare et oculorum et aliorum membrorum nisu aliquid conari dictum est ab antiquis . . . unde quidam nictationem, quidam nictum, ut Caecilius* etc. Illud *Nictari* inde natum esse videtur, quod in fonte glossarii olim antecedeat glossa ad verbum *Nictari* spectans (apud Caecilium in Hymnide *nictentur*? an apud Novium *nictabere*? cf. Festus l. c.). Neque maiorem probabilitatis speciem habet illa coniectura, qua v. d. glossam A A V 468, 3 (occurrit saepius in glossariis, v. Th. gl.) *Nictit canis, cum acute gannit* ad Fest. 177, 16 *Nictit canis in odorandis ferarum vestigiis leviter ganniens* revocare conatur illud *acute* excerptoris negligentia ex Eunii versu a Festo laudato (*voce sua nictit ululatque ibi acute*) pro *leviter* substitutum esse ratus; de glossa Enniana si quis cogitabit, me non habebit obloquentem, sed ex Festo eam esse depromptam minime concesserim. Eodem modo de glossa IV 367, 24 (Abav. = Vat. 1471 V 544, 43; gl. Scal. V 605, 19) *Natinare negotiare* (-ri gl. Scal.) iudicandum esse videtur; F. enim 166, 30 nihil habet nisi haec *Natinatio dicebatur negotiatio et natinatores ex eo seditiosa negotia gerentes*. M. Cato (*inter se natinari*), unde glossam illam fortasse ad Catonem spectare coniciat quispiam (v. Loewe, Prodr. 5 adn. 2). At si Festum excerptisset glossarii auctor, vel *Natinatio negotiatio* vel *Natinatores seditiosi* (cf. Paul. et vol. IV praef. XVIII) expectaremus. Deinde glossam A A V 467, 45 (= Vatic.

1468 V 507, 52) *Nefrendes infantes adhuc sine dentes* (-ibus Vat.) cum F. 162, 12 comparat L., sed illic Ateius Capito (? v. Reitzenstein, 'Verr. Forsch.' 91 adn.) interpretatur *n. infantes esse nondum frudentes id est frangentes*; quam interpretationem cur neglexisse putandus sit glossae auctor, si re vera Festum exscripsisset, equidem non video. Idem cadere existimo in glossam IV 124, 35 *Nebulo inductor, fallax* (= Ampl.¹ V 374, 57; Cant. N 94); nam si F. 165, 31 fons esset, facillime exhiberi potuit *N. nequam, nugator* neque ulla paraphrasi opus fuit. Hic quoque diversa interpretatio fontem indicat diversum. Eiusdem generis est glossa IV 126, 10 *Noctipugam obscenum, quod quasi noctibus compungatur* (= AA V 468, 26; L. gl. V 87, 5), quacum conferri iubet L. Festum 174, 6 <*Noctipugam cum dixit Lucilius*> l. II, *obsce<num> significat>c medica*. Congruit profecto interpretatio, sed originationis illius apud Festum nec vola nec vestigium; quam non est cur a glossarum compilatore demum additam esse sumamus. Immo qui animo non praeoccupato rem considerabit, is opinor et glossam et Festi adnotationem ad eundem fontem, glossam scilicet Lucilianam, redire censebit. Restat glossula *Nis nobis* uno cod. Sang. IV 261, 51 tradita, quam si modo Festina est, non ex hac de qua agitur operis parte depromptam esse constat; cf. Paul. 47, 3 *Calim . . . pro clam, ut nis pro nobis* etc.

Ad eam Festini operis partem, quae litteram Q amplectitur, una tantum glossula aliquo modo referri potest IV 558, 58 (Aff.) *Quadrantale amphora* (cf. Abav. mai. V 630, 64), sc. ad F. 258, 20 *Quadrantal vocabant antiqui, quam ex graeco amphoram dicunt* etc., quamquam ne hic quidem res est certissima. At quomodo ad eundem fontem revocari possit glossa IV 158, 10 *Querquera est febris acris ac vehemens, quae cum magno frigore solet venire* (= Vat. 1468 V 512, 6; Vat. 1469 V 525, 23), cum apud F. 257, 24 teste Paulo longe diversa exstitisse certum sit — *Querque<ram> febrem gravem et mug<nam> quidam <a> querc<u> dictam volunt . . .> Opillus frigidam a<it> dici et cum horrore tremen<tem>* etc. legitur in Muelleri editione —, mihi non liquet; nam Loewii coniectura (Prodr. 327 adn. 1), qui glossa illa nititur, satis incerta est neque maiorem efficit similitudinem aut necessitudinem; glossae vero auctorem Festi verba adeo commutasse, ut prorsus nova evaderet interpretatio, nemo veri simile iudicabit. Ad Lucilium vel Plautum pertinere glossam Loewio libenter concedo. De glossis IV 157, 48 a *Quercus <genus ligni> ilici similis aut ilex* (quam supplevit L. adhibita gl. IV 158, 3 *Quercum genus ligni*, ubi Cass. *Quernum* exhibet; cf. AA V 478, 20 et Aff. IV 559, 25; Ampl.² V 326, 47) et IV 158, 4 *Quaesumus rogamus* (quae saepius exstat, v. Th. gl.) L. ipse dubitat, suo iure opinor; nam quae apud Paulum 259, 1 leguntur, plane aliena sunt, nec qua de causa pro Festi-

nis 258, 13 (*Quaeso ut significat idem quod rogo, ita quaesere... pro quaerere* etc.) prima numeri pluralis persona posita sit, ulla ratio potest agnosci; si vero glossam ad certum locum spectare sumis, res expedita est. Porro glossam AA V 478, 17 (= Vat. 1468 V 512, 11) *Quod si mentirim quod si mentitus fuerim* (-rit AA) non ex F. depromptam esse pro certo affirmari potest; de altera autem glossa, quam coniectura ad eundem fontem revocavit — IV 22, 41 + 159, 5 *Athenas a nomine Minervae dictas* (-ti codd.) + *quia graeco vocabulo Athenam* (-as cod. Vat.; gl. om. Cass.) *veteris dicunt* (*dicitur* cod.) —, iudicari nequit, de origine Festina dubitare licebit.

De glossis ad R litteram pertinentibus uberiores vix capiemus fructum. Concedendum est glossa IV 160, 14 *Ratum certum vel firmum* (cum gl. IV 160, 9 contaminata saepius occurrit, v. Th. gl.) eandem exhiberi interpretationem, quam apud F. 274, 34 (*alioqui pro firmo, certo ponitur ratus et ratum*) legimus; quid inde sequitur? Eadem aliunde peti potuerunt, velut ex glossis Terentianis ad Hec. 545 vel Phorm. 951 (cf. Schlee, Schol. Ter. p. 146). Maior vis tribui potest consensui, qui intercedit inter glossam IV 160, 46 *Redivivum a vetustate renovatum* (= cod. Sang. IV 278, 13; *R. a morte aut a v. r.* saepius legitur, v. Th. gl.) et F. 273, 4 *R. est ex vetusto* (sic F.!) *renovatum*. Cicero etc., quamquam forma non prorsus eadem est. Incertior rursum res est in glossa IV 160, 51 *Relu[c]ere resolvere* (haec etiam Abav. IV 386, 4) † *aut lubere* (*ad luere* Cass.; *ut luere* AA V 479, 10), quacum L. conferendum proponit F. 281, 28 *Reluere resolvere, repignerare*. Caecilius etc., et 270, 17 *Rediviam quidam, alii reluvium appellant, cum circa unguis cutis se resolvit, quia luere* (*qui at vere* cod.) *est solvere*. Titinius etc.; vix enim credibile est glossae auctorem alteram partem ex posteriore, alteram ex priore Festi annotatione petivisse, et num re vera restituendum sit *ab luere*, quae originationis forma satis mira esset, admodum dubium est, quamquam in L. gl. legitur *Reluere resolvere*; *luere enim solvere est*. Simili ratione L. glossam AA V 478, 57 (= gl. Scal. V 609, 15) *Redantruare gratiam referre* ex Festo manasse coniecit adhibitis duobus locis 270, 22 *Redhostire referre gratiam*. Naevius etc. et 270, 32 *Redantruare*, ubi in Pacuvi versu exhibentur verba *promerenda gratia*; quam coniecturam iusto audaciorem esse nemo non videt. (Conferri potuit Paul. 9, 12 *Antroare gratias referre*, sed ne hinc quidem multum lucramur; v. Th. gl. s. h. v.). Glossam IV 160, 13 *Ratibus navibus* (= Aff. IV 560, 33; cod. Paris. V 141, 18) ne ex F. 273, 22 derivemus (*Rates... interdum etiam naves ipsae significantur* etc.), ipsa lemmatis forma impedimur, quae ad certum auctoris locum spectat (de Accio cogitare possis, quem F. laudat). Ad Apuleium Met. X 24 referri posse glossam IV 164, 28 *Rivales* (= L. gl. V 97, 11)

etsi ipse indicat, tamen propter ambitum ad Festum revocare mavult v. d.; quod ne acceptemus, monet glossae forma scholiorum propria (cf. *proprie tamen rivalis est* etc.). Glossa AA V 480, 52 *Ruspari requirere* cum F. 265, 25 *R. est quaerere crebro* comparari potest, item gl. cod. Sang. IV 280, 35 *Rorarius miles qui primus* (vel -o) *in bello pugnam* (vel *proelium*) *committit* cum P. 264, 8 *Rorarios milites vocabant, qui levi armatura primi proelium committebant* etc., sed de Festo harum glossarum auctore minime constat. Idem valet de glossa AA V 479, 54 (= Vat. 1468 V 513, 2; gl. Scal. V 609, 26) *Retanda purganda* collatis Festi reliquiis 273, 34, quas Gellii (n. a. XI 17, 4) auxilio Vrsinius supplevit. Cum Festo 262, 1 *Runa genus teli significat* . . . *Ennius 'runata recedit' id est proeliata* comparantur hae glossae: AA V 480, 47 *Runa pugna* (= Vat. 1471 V 545, 29; gl. Scal. V 609, 32; Abav. mai. V 631, 19) et *Runata praeliata* (V 545, 30; 609, 33; 631, 20; AA V 480, 48 *suspicata* pro *pr.*), quae ex eodem fonte manarunt (cf. cod. Sang. IV 280, 45 *Ruma mamma, aliter pugna* = cod. Cass. 90 V 578, 6: contractae sunt glossae *Ruma* et *Runa*); propter diversam vocis *Runa* explicationem de Festo auctore cogitari vix potest. De reliquis quas L. contulit glossis non est quod pluribus disputemus: omnia enim incertis sunt incertiora.

Restant glossae ad S litteram pertinentes, quarum ex numero admodum paucae ita comparatae sunt, ut ad Festum eas revocare audeas: IV 166, 18 *Sandaraca genus coloris* (= Aff. IV 564, 17; AA V 481, 17) coll. F. 325, 11 *Sandaracam* . . . *<coloris genus> quod Graeci* etc. (laudatur Naevius); IV 173, 27 *Sospes salvus* (= cod. Sang. IV 287, 9; forma auctor saepius occurrit, v. Th. gl.) coll. P. 300, 10 *S. salvus*; IV 175, 21 *Squalidus incultus* (= cod. Paris. V 152, 10; cf. Abav. IV 393, 10; Aff. IV 565, 18) coll. F. 329, 22 *Squalidum incultum et sordidum* etc.; IV 177, 36 *Suopte suo ipsius* coll. F. 310, 8 *S. suo ipsius, ut meople* etc. His addas IV 173, 28 *Sontes rei, nocentes* (= Aff. IV 569, 18; cod. Paris. V 151, 23; cf. gl. Abstr. IV 173 21 *Sontes nocentes*, quae saepius exstat, v. Th. gl.) coll. F. 290, 24 *Sonticum morbum* . . . *quod sontes significat nocentes* etc., IV 173, 31 *Socordia stultitia vel nequitia* (cf. 173, 44 *S. st. aut negligentia*; cod. Sang. IV 286, 48 *S. st.* = Ampl.¹ V 388, 27; Cant. S 393; al.) coll. F. 293, 6 *Socordiam quidam pro ignavia posuerunt, M. Cato pro stultitia posuit* etc.; V 243, 24 (L. gl.) *Scrattae despectae, nugatoriae* (= Vat. 1468 V 516, 1) coll. F. 333, 29 *Scriptae dicebantur nugatoriae ac despiciendae mulieres* etc. (cf. Loewe, Prodr. 281); AA V 482, 30 *Sodrs si audes* (gl. vulgaris, v. Th. gl. et adn. ad Donat. in Ter. Andr. 85, ubi addas schol. ad Pers. III 89) coll. F. 297, 31, qui Ter. Andr. 85 laudat; AA V 484, 63 *Sucerdæ* (*Superbe* codd.) *stercus suillum* (= Vat. 1468 V 514, 43; cod. Sang. IV 288, 33 *Sucerdæ stercus ouile*) coll. F. 302, 8 *Su-*

cerdae stercus suillum . . . *Titinnius* etc.; AA V 481, 19 *Sapsa res ipsa* † *uel inaequalis* coll. F. 325, 28 . . . *ait sapsam pro ipsa nec alia* . . . (unde L. in glossa *nec alia* scripsit; at cf. V 243, 2); AA V 484, 57 *Sum* † *panem* coll. F. 298, 2 *Sum pro eum usus est Ennius* etc. (inde *pro eum* restituit Landgraf); AA V 485, 2 *Surus surculus* (= Vat. 1468 V 514, 47; gl. Scal. V 610, 15) coll. F. 297, 34 *Surum dicebant, ex quo* <per deminutionem *surculus in*> *usu est. Plautus* etc.; AA V 482, 20 *Sispcs sospes, id est beatus* (gl. Scal. V 610, 6 = Abav. mai. V 631, 38 *S. s. sanus*) coll. F. 343, 14 *Sispitem Iunonem, quam vulgo sospitem appellant* etc.

Haec fere sunt omnia, quae sine aliqua difficultate ad Festum referri possunt; num referri debeant, alia res. Alium fontem aperte produnt: IV 166, 35 *Solocioribus* (*Salac-* cod.) *velleribus crassis* (*gratis* cod.) *et asperis* (= Vat. 1468 V 513, 12); IV 167, 46 *Scaptensulas argentifodinas*; IV 180, 5 *Sutelis* (*subtiles* codd.) *subreptionibus et fraudibus*, quippe quae ad certos certorum auctorum locos (*Sutelis* Plant. Cas. 95) spectent; quo accedit, quod apud Festum diversa legitur interpretatio (301, 6 *Solox lana crassa et pecus* etc.; 330, 12 *Scaptensula locus ubi effoditur argentum in Macedonia* etc.; 310, 27 *Sutelae dolosae astutiae* etc.). Glossam quae IV 179, 45 (= Vat. 1468 V 514, 21) legitur *Submussim murmuranter vel timide*, L. varia lectione codicis Cass. (*murmurantes*) usus postquam in *Sumnussi murmurantes vel timidi* mutavit, cum F. 298, 27 comparat, ubi est *Summussi dicebantur murmuratores. Naevius* (*summusos*) etc.; sed praeterquam quod ne sic quidem plenus efficitur consensus, non est quod de adverbio *submussim* dubitemus, quod etiam gl. AA V 484, 59 *Summussim clam, occulte* et gl. Aff. IV 571, 53 *S. † completio* (v. Th. gl.) defenditur neque quicquam habet offensionis. Ex Festo desumptam esse censet L. glossam IV 179, 16 *Sublicius pons qui*<a> *inter eius materiem aqua subliquitur*; sed si F. 293, 15 inspexeris, cognoscas eandem originationem subesse, quam 'quidam' (?) apud F. protulerunt <quod sub eo> *aqua liquens* <laberetur>, verba ipsa longe esse diversa. Idem valet de glossa IV 179, 43 a (cf. gl. Scal. V 611, 38) *Subcenturiatus*, quae cum non prorsus congruat cum F. 306, 25, eo confugit v. d., ut aut alteram glossam ad idem lemma spectantem apud Festum intercidisse aut eam quae praesto est a glossarii compilatore retractatam sumat: neutrum probaverim. Neque magis arridet coniectura, qua v. d. glossam IV 180, 1 *Suppara paulo minus quam paria* (-am Vat., om. Cass.), *vel tunicae quae et subuculae dicuntur* (*dicitur* Vat., om. Cass.) cum Festo conectere studet; nam altera glossa — de duabus glossis male contractis agi manifestum est — cum F. 310, 10 *Supparus puellare dicebatur vestimentum lineum, quod et subucula appellabatur* ex parte tantum consentit, de genere vocis ab illo differt (cf. Nonius 540, 8; Prisc. GL II 169, 17; inprimis Lucan.

II 363 sq. *umerisque haerentia primis suppara nudatos cingunt angusta lacertos* cum scholiis). Item glossam IV 180, 2 *Sudum serenum post pluuiam, dictum a sudore humoris; vel quasi semiudum; vel siccum id est sine udo* (*dubio* codd.) vix quisquam pendere sibi persuadebit a F. 294, 28 *Sudum* (<... ai> *t significare sub*<udum . . . sud>us *siccum significet. <itaque sudum quasi seudum id> est sine udo* etc., etsi extrema adeo congruunt, ut ad eundem fontem ultimum utramque originationem revocandam esse perspicuum sit; at maior glossae pars quam proxime accedit ad scholia Vergiliana (Serv. c. add. ad G. IV 77 et Aen. VIII 529), quibuscum cf. Non. 31, 14. Denique ad glossam IV 180, 10 *Sucula* (<s H> *yadas* (*sad-* codd.) *graece, Virgilias* (*latine suppl.?*) quod attinet, Hyadas et Pliadas glossae auctor eodem modo confundit, quo 'quidam' apud Serv. Dan. ad Aen. I 744; ex Festo 301, 28 (*Sucula . . . eodem nomine nostri stellas quinque d*<icunt, *quas appellarunt a plu*>via *Hyadas Graeci* etc.) vix sua petivit, neque magis glossam IV 180, 5 a *Subantes libidinantes* (= cod. Sang. IV 288, 17; cf. AA V 484, 17; Vat. 1468 V 514, 16) ex F. 310, 10 sqq. hausisse credendus est, praesertim cum glossa ad certum auctoris locum spectare videatur. Quod inter glossam Ampl.¹ V 389, 31 et Ampl.² V 331, 63 (= Cantabr. S 218; adde V 332, 1) et F. 340, 28 (et 317, 5?) quaedam cognoscitur similitudo quamvis exigua, id ipsa re effectum esse apparet; de Festo glossae fonte minime cogitari potest. Quae praeterea L. ut Festina affert, ea vix digna sunt, in quibus diutius moremur: non agitur nisi de meris coniecturis. Etenim quomodo cum eo contendas, qui quae ad Festi reliquias revocari non possunt, ea in iis operis partibus, quae aetatem non tulerunt, exstitisse contendit, equidem non video. Ex iis autem quae adhuc disputavimus id elucere crediderim satis exiguum glossarum numerum ex Festo posse derivari; qua in re id summi momenti esse censeo, quod in litteris N et Q, quae partes operis Festini integrae servatae sunt, quatuor omnino glossae ad illum referri possunt, in quibus sunt glossae tres admodum triviales (*Nectere, Nectar, Quadrantal*); sola igitur relinquitur glossa *Nequinunt*, cui aliqua vis tribui posse videatur.

De glossis quae ad reliquas litteras pertinent quoniam brevius rem absolvere in animo est, id praemonitum velim me ad unam omnes quas v. d. attulit glossas diligentissime cum Festo et Paulo comparavisse; sed ut chartae parcam, eas tantummodo tractabo, de quibus utrum ad Festum referendae sint necne revera disputari potest.

Ex littera M inprimis afferenda est glossa IV 115, 19 *Metalli dicuntur in lege m*<ilitari ***> (= AA V 465, 45), quacum cf. F. 146, 30 *M. d. in l. m. quasi mercennarii*; accedit IV 121, 4 *Muscerdas dicebant antiqui* (<***>) (= AA V 467, 8), cf. F. 146, 24 *M. prima syllaba producta*

dicebant antiqui stercus murum. Porro cf. IV 114, 43 *Mavors Mars* (v. Th. gl.) cum P. 147, 6 *Mavortem poetae dicunt Martem*; IV 115, 17 *Memorare dicere vel perhibere* cum P. 124, 16 *M. significat nunc dicere, nunc memoriae mandare*; IV 116, 37 *Mensularium nummularium, quem Graeci trapezita vocant* cum P. 124, 17 *Mensari nummulari*; IV 120, 41 *Mundus caelum, orbis terrarum* (cf. Aff. IV 539, 46) cum P. 143, 1 *Mundus appellatur caelum, terra, mare et aer*; IV 121, 3 *Muttire levitur loqui* (= AA V 467, 22) cum F. 145, 26 *M. loqui. Ennius* etc.; IV 121, 34 *Munus donum* (? = Abstr. 120, 25) [*Manifest(at)um visibile vel certum* = Abstr. 113, 35] cum P. 140, 12 *M. significat officium . . . item donum, quod officii causa datur*; AA V 467, 24 *Murrina potio divina, quae apud Graecos dicitur nectar, id est vinum murratum* (= Aff. IV 539, 31; cf. cod. Cass. 90 V 572, 37; cod. Sang. IV 257, 33) cum P. 144, 9 *M. genus potionis, quae graece dicitur νέκταρ. hanc mulieres vocabant muriolam, quidam murratum vinum* etc.; AA V 466, 40 *Mullei calcei quem antiquitus reges habere soliti erant* (= Vat. 1468 V 507, 41) cum F. 142, 25 *Mulleos genus calceorum aiunt esse, quibus reges Albanorum primi, deinde patricii sunt usi. M. Cato* etc. Haec omnia praeter duas glossas primo loco positas satis dubia esse nemo non intellegit; nam similitudo non tanta est, ut nisi de Festo auctore cogitari non possit; immo aliam originem ut statuamus sunt quae suadeant (e. g. illud *leviter* glossae *Muttire*, quam ad Ter. Andr. 505 rettulit Gnuég, ex F. peti non potuit; glossae *Murrina* formam cur mutaverit excerptor, causa probabilis non cognoscitur etc.)¹⁾

O: IV 128, 15 *Obbrutuit obstupuit* (= Aff. IV 546, 47; Ampl.¹ V 376, 41) cf. P. 187, 2 *O. o. a bruto* etc.; IV 128, 27 *Obmoveto promoveto* (-ito cod.) † *dant* (= AA V 469, 57; *pro admoveto apud antiquos* Goetz; *pro moveto adante* Lindsay), cf. F. 202, 33 *Obmoveto pro admoveto dicebatur apud antiquos* etc. (cf. F. 178, 19); IV 132, 2 *Offucias fallacias a fuco* (cf. Vat. 1468 V 508, 30; Cass. 90 V 574, 7) cf. P. 192, 8 *Offucias fallacias*. Aliquo modo comparari possunt IV 128, 10 *Obnubit operit vel tegit* (? cf. Abstr. 129, 5 et 129, 1; AA V 470, 9) cum P. 184, 4 *Obnubit caput operit* etc.; IV 128, 19 *Obesus crassus vel pinguis* (= gl. Verg.

1) Glossam IV 119, 28 *Monstra* — *demonstrent* ad verbum ex August. De c. d. XXI 8 translata esse moneo, a quo auctore ex parte etiam Isid. Or. XI 3, 1—3 pendet. Ad glossam IV 121, 27 *Municipales* adnotandum eadem exhiberi ab Isid. Or. IX 4, 2: (ubi etiam *in locum* codd. BCT) et Diff. verb. 371, cuius differentiae pars prior ad Placidum V 32, 17 = 85, 13 = 118, 41 redit (cf. Isid. Or. IX 4, 21). Quam glossa IV 115, 12 *Mediotellum medium terrarum* (= AA V 465, 14) praebet interpretationem, ea diserte reicitur a Festo (cf. P. 123, 20), qui formam *meditellum* originandi causa fluxit.

IV 455, 21 ad G. III 80, ut ipse L. indicat) cum P. 188, 12 *Obesus pin-guis quasi* etc.; IV 132, 3 *Offendix nodus proprie, quo apex flaminum restringitur et remittitur* (= Vat. 1468 V 508, 28; Cass. 90 V 574, 6) cum F. 205, 2 *Offendices ait esse Titius nodos, quibus apex retineatur et remittatur* etc. (ad communem fontem potius referenda); IV 133, 36 *Orator legatus vel causidicus* (? cf. Aff. IV 543, 27; Ampl.² V 317, 1; gl. vix ad Ter. Hec. 9 pertinet) cum F. 182, 29 *Oratores... eos nostri alii pro legatis appellant* etc.¹⁾

P: IV 136, 5 *Palpare blandire* (cf. Abav. IV 373, 24; Aff. IV 548, 5; Ampl.² V 317, 43; Cant. P 32) cf. P. 220, 14 *Palpari blandiri*; IV 138, 42 *Perlexit (Perp- vel Persp- codd.) in fraudem induxit* (cf. IV 140, 16; 32 et Abstr. 139, 17; cod. Sang. IV 270, 7; Aff. IV 549, 37; 553, 4; ad Ter. Phorm. 68? cf. Don. et Eugr. ad h. l.; certe IV 140, 13 ad Ter. Eun. 817, 140, 17 ad Ad. 578 referri possunt) cf. P. 207, 1 *Pellexit in fraudem induxit*; IV 138, 44 *Perpetem perpetuum* (-us hic codd.; recte 140, 34; = Aff. IV 552, 47; L. gl. V 233, 1) cf. F. 217, 10 *Perpetem pro perpetuo dixerunt poetae* etc.; IV 139, 2 *Perpetrat peragit* (= Abav. IV 376, 23; Aff. IV 550, 49; cf. Sang. IV 271, 17) cf. F. 217, 29 *Perpetrat peragit, perficit* etc.; IV 143, 16 *Pipatio* (-ado codd.) *clamor † putantes* (= AA V 473, 54; Vat. 1468 V 510, 30) cf. P. 212, 9 *P. cl. plorantis lingua Oscorum* (integra glossa, quae codice Vat. 1469 videtur esse servata — v. vol. IV praef. XVIII —, cum illud *lingua Oscorum* non agnoscat, diversam a Festo originem prodit); IV 151, 14 *Profanum <h>abes parvi pendetur* (= AA V 477, 13; *Prouanum aues* utr. loco; *partui perd-* cod. Vat.; cod. Cass. gl. om.) cf. F. 229, 7 *Profanum quod non est sacrum <... Plautus> 'sacrum an profanum habeas parvi penditur'* (inde L. glossam supplet, fort. recte); cod. Sang. IV 268, 6 *Patago genus morbi* (= gl. Scal. V 606, 62; Abav. mai. V 630, 30) cf. P. 221, 3 *Patagus morbi genus*. Praeterea Festinis plus minus similes sunt glossae hae: IV 136, 42 *Paulisper parumper* (et 48 a *Parumper perparum*), cf. P. 221, 18 *Parumper significat paulisper quasi perparum* etc.; IV 144, 37 *Planca* (-at Vat.) *pedibus latis, quae (qui Vat.) planas et latas habet plantas, quam Vmbri ploton vocant* (= AA V 473, 62) cf. (F. 230, 12 *Plancae tabulae planae, ob quam causam et Planci appellantur, qui supra modum pedibus planis sunt* et) 238, 31 *<Plotos appellant> Vmbri pedibus planis <natos>* etc.; IV 145, 13

1) In glossa IV 134, 16 (= Abav. IV 372, 34; Ampl.¹ V 377, 25; Cantabr. O 266) *Ordinarius miles qui integro ordine militat* L. quaerit, num pro *integro* legendum sit *infimo*, quia apud F. 182, 32 est *Ordinarium... manipulem... quia infimi sit ordinis appellatum*, sed mutatione opus non est; diversa est Festi interpretatio. Deinde v. d. gl. IV 134, 34a, quae in solo Cass. exstat, cum F. 202, 28 confert; at nisi omnia fallunt, de interpolatione recentissima agitur, quae a P. 203, 3 *Orcus ab urguendo mortem dictus* etc. videtur pendere.

Plutei proprie crates corio contectae, quae in opere faciendo hostibus (!) obiciuntur (= AA V 474, 9; cf. Vat. 1468 V 510, 41; Isid. Or. XVIII 11, 3!) cf. F. 230, 22 *Plutei dicebantur crates corio crudo intentae, quae solebant opponi militibus (!) opus facientibus etc.*; IV 148, 2 <Postumus> *qui post mortem patris nascitur* (cf. Abstr. IV 146, 34 = V 548, 50 *P. post m. p. natus*) cf. F. 238, 2 *P. cognominatur post patris mortem natus*; IV 151, 23 *Propudium a quo longe pudor abest* (= AA V 476, 50) cf. P. 227, 3 . . . *quidam propudium putant dici, a quo pudor et pudicitia procul sint* (cf. gl. cod. Vat. 1469 vol. IV praef. XVIII); IV 151, 26 *Prodigit consumit, unde prodigus* (-gium codd.) cf. P. 228, 5 *Prodigere est consumere, unde et prodigus fit*; cod. Sang. IV 266, 43 + 267, 6 *Paludamenta ornamenta militum, unde hi qui in provinciam proficiscuntur paludati vocantur*, cf. F. 253, 2 *Paludati . . . armati, ornati: omnia enim militaria ornamenta paludamenta dici* (et glossam et Festum ad Varronem redire coll. De l. l. VII 37 veri non est dissimile); AA V 475, 54 *Procastria aedificia ante castra vel quae ante portas sunt* cf. P. 225, 12 *Procestria (!) . . . Aelius pr. aedificia dixit esse extra portam, Artorius procastria quae sunt ante castra* (cf. Vat. 1469 V 525, 27; Cass. 90 V 575, 57); IV 151, 13 a *Prosapia progenies sive propago* (= Cass. 90 V 576, 61; AA V 476, 60 add. *ut rustici*) cf. P. 225, 14 *Prosapia progenies id est etc.*; AA V 477, 40 *Puticuli quo (qui codd.) cadavera proiciuntur* (= Vat. 1468 V 512, 2; Vat. 1471 V 545, 8; gl. Scal. V 607, 27) cf. F. 217, 13 et P. 216, 6.¹⁾

T: glossae, quae nullo negotio ad Festum revocari possint, non exstant praeter hanc cod. Sang. IV 291, 50 *Tetini tenui habui* (= Vat. 1468 V 516, 47) cf. P. 366, 11 *Tetini pro tenui*; comparari aliquo modo possunt hae: IV 183, 4 (181, 36 a) *Tartarus locus apud inferos tenebris confusus, ubi impiorum animae detruduntur* (= cod. Paris. V 156, 10; gl. Verg. ad Aen. VI 577?) cf. F. 359, 25 *Tartarino cum dixit Ennius, horrendo et horribili Verrius vult accipi a Tartaro, qui locus est apud inferos*; Aff. IV 575, 56 *Tuditantes verberantes, saepius tundentes* (cf. Ampl.² V 334, 13; Ampl.¹ V 398, 2; Cantabr. T 333 *T. saepe t.*) cf. F. 352, 25 *Tuditantes tundentes negotium id est agentes etc.* (glossa Enniana ut videtur); cod. Sang. IV 293, 5 *Tomix restis (v- codd.) leviter torta* (= Vat. 1468 V 517, 2) cf. F. 356, 2 *Thomices graeco nomine appellantur ex can-*

1) L. glossam IV 136, 22 *Papillae mamillae vel (sive Cass.) capita* sic correxit *P. mamillarum capita*, ut similior fiat Festinae apud P. 220, 12 *P. capitula mammarum, dictae quod popularum sint similes*. At coll. L. gl. V 231, 2 (cf. Isid. Or. XI 1, 75) potius in glossa *mammillarum* supplendum; duae igitur sunt interpretationes. — Glossae IV 147, 8 *Pomerium regio determinata certis signis* similima sunt, quae Vrsinius in Festi reliquiis miserrimis 250, 5 supplevit; sed haec ex Gellio XIII 14, 1 petita sunt, qui quoniam ex fonte hauserit (ad augures, qui libros de auspiciis scripserunt, nos relegat), incertum est.

nabi inpolita et sparto leviter tortae restes etc. (gl. Lucil.); Sang. IV 293, 29 *Trossuli equites Romani cum equis publicis*, cf. P. 367, 20 *Trossuli equites dicti quod* etc.; AA V 486, 19 *Tiberis a Tiberino rege sic nominatum* (?), *cum prius Albula vocaretur*, cf. P. 366, 2 *Tiberis fluvijs dictus a Tiberino rege Albanorum* etc. (a Varrone utraque glossa pendere videtur, cf. De l. l. V 30 et Serv. Dan. ad Aen. VIII 330, Serv. ad Aen. III 500; ex schol. Verg. hausit Isid. XIII 21, 27); AA V 487, 38 *Tullii rivuli*, cf. F. 352, 34 *Tullios alii dixerunt esse silanos, alii rivos, alii* etc.; AA V 485, 30 *Taura sterilis* (= cod. Sang. IV 290, 17; Abav. mai. V 631, 46); cf. F. 352, 15 *Tauras vaccas steriles appellari ait* etc.; IV 185, 44 *Tollenno genus machinae aquariae, ita dictum, quod alternis attollitur vel quod tollat haustam aquam* (= AA V 486, 29) cf. F. 356, 8 *Tollenno est genus machinae, quo trahitur aqua alteram partem praegravante pondere; dictus a tollendo*.¹⁾

V: AA V 489, 42 *Vidueras calamitas* (Vat. 1468 V 518, 46 addit *miseria*) cf. P. 369, 15 *V. c. dicta quod viduet bonis*; comparari potest glossa IV 193, 40 *Vitiligo macula alba in corpore; alfon Graeci et psoram vocant* (= Abav. mai. V 637, 23) cum P. 369, 16 *Vitiligo in corpore hominis macula alba, quam Graeci ἀλφόν vocant* etc. (glossa Luciliana).²⁾

A: IV 12, 11 *Aenatores cornicines* (= Cantabr. A 350; *liticines* add. Ampl.² 262, 33; eadem addito *tubicines* Aff. IV 475, 33 [cf. IV 12, 2 et 11, 47 Abstr.; V 262, 48; al.]; pro *tubic.* habent *id est cornu vel calamo cantantes* (vel *canentes*) Abav. IV 306, 1; AA V 437, 46, quod cod. Sang. IV 204, 18 omissis aliis interpretamentis exhibet; lemma ubique praeter AA est *Aeneatores*) cf. P. 20, 7 *Aenatores cornicines dicuntur, id est cornu canentes*; IV 13, 2 *Affatim* [statim continuo vel] *abundanter* (v. Th. gl.) cf. P. 11, 15 *Affatim . . . abundanter* etc.; IV 13, 39 *Aegrum* <a>*nigrum* (?? *Atrum* n. Th. gl.) cf. P. 6, 14 *Aegrum ex graeco ἀνιγρόν appellatur* etc.; IV 13, 40 *Agonia hostia* (gl. vulgaris, v. Th. gl.) cf. P. 10, 9 *Agonium* . .

1) Glossam cod. Sang. IV 291, 38 *Tesqua deserta, aspera* (= Vat. 1468 V 516, 45) ex Festo 356, 14 petita vix est credibile, quippe qui *tesca* loca secundum Ciceronem *aspera*, *difficilia aditu* esse interpretetur; vox *deserta* nisi in Acci versu ibi laudato non reperitur; similior est Ps.-Philoxeni glossa II 197, 47, quae fortasse ex scholio ad Horat. epist. I 14, 19 pendet. — Glossa IV 183, 29 (= 184, 15 a) *Tela arma a tendendo dicta* etc. quomodo ex Festo 364, 27 derivari possit, qui *tela ex Graeco translato nomine*, scil. a *τηλόθειν*, dicta contendit, equidem non intellego. Cum glossae interpretatione cf. Donat. ad Ter. Phorm. 213; cum Festo facit Serv. ad Aen. II 468 (VIII 249; IX 107), a quo pendet Isid. Or. XVIII 7, 10.

2) Glossam cod. Sang. IV 296, 49 *Vola manus cava in medio, unde involare dicimus* ex Festo (cf. P. 370, 7 *Volae vestigium medii pedis concavum; sed et palma manus vola dicitur*) manasse vix quisquam credit. Glossam IV 192, 49/48 *Vir a virtute nomen accepit* etc. Thomson ad Abstr. pertinere et ex scholiis Vergilianis desumptam esse censet.

hostiam enim antiqui agoniam vocabant etc.; IV 15, 15 *Alma sancta, clara* [vel *lucida aut candida*] (gl. vulg., v. Th. gl.), cf. P. 7, 9 *Alma sancta sive pulchra* etc.; IV 17, 25 *Anclare haurire, implere* (i. om. Cass.) cf. P. 11, 10 *Anclare haurire a graeco descendit* etc.; IV 20, 27 *Arma proprie dicuntur ab armis* cf. P. 3, 13 *Arma proprie dicuntur ab armis* etc.; IV 20, 37 *Armillum vas vinarium* (= L. gl. V 168, 29; Ampl.² V 267, 22; AA V 441, 24; Cant. A 782; cf. Aff. IV 480, 33; Ampl.² V 265, 36; gl. Scal. V 590, 27; Placid. V 6, 13) cf. P. 2, 5 *Armillum vas vinarium* etc.; IV 24, 1 *Aullas quas ollas dicimus* (= Abav. mai. V 632, 39) cf. P. 23, 13 *Aulas antiqui dicebant, quas nos dicimus ollas* etc. (cf. etiam Non. 543, 5); Ampl.² V 261, 57 *Adsciscere adsumere* (= Ampl.¹ V 344, 18; Cant. A 264) cf. P. 14, 12 *Adsciscere est adiungere vel adsumere*; Ampl.² V 260, 8 *Abarcet prohibet* (= Abav. mai. V 625, 2) cf. P. 15, 13 *Arcere prohibere est. similiter abarcet prohibet* etc. (cf. P. 25, 16); Ampl.² V 266, 40 *Ancti excruciiati* (= Aff. IV 482, 14), cf. P. 29, 8 *Anctos excruciiatos*; AA V 437, 55 *Aestimiae aestimationes* (= cod. Sang. IV 204, 21) cf. P. 26, 8 *Aestimias aestimationes*.

Comparari possunt: IV 23, 11 + 4, 24 *Ausonia Italia dicta ab Ausonio Vlyxis et Calypsus* (-is codd.) *filio* cf. P. 18, 1 (glossa propius abest a Serv. Dan. ad Aen. III 171); IV 16, 23 *Amities fustes aucupales* (= Aff. IV 479, 16; L. gl. V 166, 12; Ampl.² V 265, 7; Ampl.¹ V 345, 20) cf. P. 21, 5 *Amities perticae aucupales* (cf. AA V 439, 31 *A. perticae aucupum* et 441, 58 *Aucupales, in quibus retia suspenduntur*); IV 19, 36 *Aquileum fuscum nigrum* (v. Th. gl.) cf. P. 22, 2 *Aquilus color est fuscus et subniger* etc. (? ?); IV 21, 18 *Arci[s]tes sagittarius* (= Ampl.¹ V 339, 40; Cant. A 758; cf. Ab abs. IV 406, 13; AA V 441, 2; gl. Scal. V 591, 15) cf. P. 20, 18 *Arquites arcu proeliantes, qui nunc dicuntur sagittarii*; Abav. IV 305, 32 *Adversus contrarium vel †adversi (e diverso? cf. IV 8, 33)* cf. P. 15, 10 (14, 17 ed. Linds.) *Adversus aut contrarium significat aut* etc.; AA V 441, 29 *Arferia vas vinarium, quod vinum ad aras fert* (cf. cod. Sang. IV 208, 11; Vat. 1468 V 491, 55) cf. P. 11, 14 *Arferia aqua ... sive vas vini* etc.; cod. Sang. IV 201, 11 *Avillus agnus recens natus* (= Vat. 1468 V 492, 17; Cass. 90 V 562, 18) cf. P. 14, 7 *Avillus agnus recentis partus*; AA V 436, 30 *Adasia ovis maior quae peperit*, cf. P. 12, 13 *Adasia ovis vetula recentis partus*; AA V 438, 47 *Allux pollex in pede* (gl. vulg., v. Th. gl.) cf. P. 102, 3 *Hallus pollex pedis* etc.; AA V 439, 11 *Ambactus servus gallice* cf. P. 4, 13 *A. apud Ennium lingua gallica servus appellatur*; AA V 440, 11 *Ancrae* (scire codd.) *intervallum arborum vel spatium inier duos montes* (= Cass. 90 V 561, 12) cf. P. 11, 13 *Antras convalles vel arborum intervalla* (= Placid. V 7, 3 = 47, 14; v. Th. gl.); AA V 441, 3 *Arculus circulus, quem in capite habent quae gerunt vasa* cf. P. 16, 6 *Arculus appellabant circulum, quem capiti imponebant ad sustinenda com-*

modius vasa; AA V 441, 30 *Arcera plastrum* (= cod. Sang. IV 208, 13; Vat. 1468 V 491, 68; cf. Cass. 90 V 561, 44) cf. P. 15, 11 † *Arcirma genus plaustri est* etc. (cf. Th. gl.).¹⁾

B: IV 26, 40 *Bulimus fumes magna* (= Aff. IV 490, 2; Ambr. IV 586, 37, Ampl.² V 272, 50; al.) cf. P. 32, 10 *Bulimum Graeci magnam fumem dicunt* etc.; AA V 444, 5 *Bubinare sanguine inquinare mulieris menstruae* (= Aff. IV 489, 24; Ambr. IV 586, 36; Abav. mai. IV 593, 35; Ampl.² V 272, 46; v. l. *menstruatae* gl. Scal. V 592, 48; cod. Leid. 67 E V 632, 49; v. l. *muliebri minstruum* cod. Sang. IV 213, 3; *m. monstrum* Abav. mai. IV 594, 37; *menstruatae* om. *mulieris* Abact. IV 602, 21; Vat. 1468 V 493, 18) cf. P. 32, 1 *Bubinare est menstruo mulierum sanguine inquinare* (cf. Placid. V 8, 8 = 50, 35; 8, 18 = 51, 1; ad Lucilium omnia spectare videntur). Praeterea similia sunt: IV 25, 65 *Blax stultus* (saepius, v. Th. gl.) + IV 26, 1 *Blaterat stulte loquitur* et P. 34, 2 *Blaterare est stulte et praecipide loqui, quod a graeco βλάξ originem ducit* etc. (cf. cod. Sang. IV 210, 52 = Vat. 1468 V 492, 67; Placid. V 8, 6 = 50, 29); IV 26, 3 *Bigener de duorum* (*duobus* L. gl.) *generibus natus* et P. 33, 14 *Bigenera dicuntur animalia ex diverso genere nata* etc.²⁾

C: IV 27, 49 *Capulum manubrium gladii* et 51 *Capulum ubi mortui efferuntur* (v. Th. gl.) cf. P. 61, 12 *Capulum et manubrium gladii vocatur et id quo mortui efferuntur* etc.; IV 28, 6 *Casnar senex* (v. Th. gl.; = Placid. V 13, 30 = 52, 59, ubi codd. R *Casinar* = Abol.) cf. P. 47, 12 *C. s. Osco-*

1) Glossa IV 17, 26 *Antiae capilli, quos mulieres promissos* (hic om., add. 18, 34 Abstr.!) *in capite componunt* (= Aff. IV 481, 24; L. gl. V 167, 13; *ab eo quod ante pendeant id est ante* † *antene* add. Cass.), cum Festo — cf. P. 17, 5 *Antiae mulieres capilli demissi in front. m. appellatae et graeco (ἀντίον) videntur* etc. — artiore vinculo conexa esse non videtur; Festina origo prorsus excluditur, si diversa quam praebet cod. Cass. originitio ex interiore fonte hausta est; similia praebet Placid. V 6, 34 = 48, 3. Neque magis glossa AA V 440, 18 *A. capilli amissi* (? *inante missi*?) *vel cincinnati, per quos videantur praeiores* ad F. revocari potest. — Glossam IV 19, 37 *Aquilo ventus* ad Eucher. form. 11, 16 rettulit Goetz; quod P. 22, 6 ab isdem verbis incipit, nullius momenti est in re vulgarissima.

2) Quomodo glossae IV 26, 24 *Bombus sonus tumidus* et 26, 37 *Boatus vox plena, sive mugitus boum* cum P. 30, 3 *Bombizatio est sonus apium ab ipso sonitu dictus, ut mugitus boum, hinnitus equorum* coniungi possint, mihi non liquet. — Glossa *Bardus hebes stultus*, quam cum P. 34, 9 *Bardus stultus* etc. L. confert, sic non exstat; habemus gl. *B. hebes stultus ineptus* in Aff. IV 487, 36 = Ampl.² V 270, 37 et aliis auctam in Abav. mai. IV 590, 42 (adiuncta est gl. *Bardus carminum conditor* = IV 487, 37, V 270, 43; IV 600, 15, diversa a P. 34, 11 *B. gallice cantor* etc.); praeterea legitur Abstr. IV 24, 12 = (Abol.?) 24, 25 *B. st. ineptus*, inde Cantabr. B 42 *B. st.* — Satis dubia res in gl. *Bacarium vas vinarium* Abact. IV 599, 2 (P. 31, 2 *Bacar vas vinarium simile bacrioni*), quia in reliquis omnibus glossariis (v. Th. gl.) *v. aquarium* est. — Glossam AA V 442, 57 (= Vat. 1468 V 563, 4) *Bellicrepa saltatio quam pyrricham dicimus ex Festo* petitam (cf. P. 35, 3) suo iure negat Loewe Prodr. 70.

rum lingua; IV 36, 24 *Consuetio consuetudo* (v. Th. gl.) cf. P. 61, 4 *Consuetionem Plautus* (Amph. 490 'consuetio') *pro consuetudine dixit*; Ampl.² V 278, 6 *Clacendix concha* (= gl. Scal. V 595, 47; Abav. mai. V 627, 1; Ampl.¹ V 351, 42; Cant. C 463) cf. P. 46, 16 *Cl. genus conchae*; Abav. IV 325, 49 *Cracentes graciles* (= Ampl.¹ V 352, 1; Ampl.² V 282, 21; Cant. C 880; gl. Scal. V 594, 61) cf. P. 53, 7 *Cr. gr. Ennius* etc.; Ampl.² V 276, 18 *Carcuma noctua* (= cod. Sang. IV 217, 5; al.) cf. P. 39, 6 (35, 3 ed. Linds.) *Cicuma avis noctua*; Ampl.² V 275 6 *Campae equi marini* (= cod. Sang. IV 213, 30; cod. Leid. 67 E V 633, 12) cf. P. 44, 1 *Campas* (*Cappas* codd.) *marinos equos Graeci . . . appellant*. Comparare possis praeterea: cod. Sang. IV 214, 31 (= Vat. 1468 V 493, 55) *Carisa † faba* (*vafra*?) cum P. 44, 3 *Carissam apud Lucilium vafrum significat* (diversa est gl. IV 28, 3 *C. lena est dupla*; v. Th. gl.); IV 29, 39 *Cassiculo reticulo* (= AA V 444, 55; ablat. etiam apud Placid. V 15, 45 = 52, 27) cum P. 48, 1 *Cassiculum reticulum* etc. (cf. gl. Abstr. IV 103, 4; al.); Ampl.² V 274, 49 *Caculae servi militum* (= cod. Sang. IV 214, 51; cf. Placid. V 13, 24 = 51, 14 = 53, 11) cum P. 45, 16 *Cacula servus militis*. *Plautus* etc. (cf. Abav. IV 315, 17); Ampl.² V 279, 60 *Cocula ligna arida vel vasa aerea* (= cod. Sang. IV 210, 37; al.) cum P. 39, 3 *Cocula vasa aenea . . . alii cocula dicunt ligna minuta* etc.¹⁾

D: AA V 449, 12 *Danista fenerator* (= cod. Sang. IV 225, 2; cf. Th. gl. s. v. *Danus*; fort. olim *Danista fenerator*; *danos enim feneratio* [ad Plaut. Most. 537?]); cf. P. 68, 14 *Danistae feneratores*.²⁾

E: AA V 454, 18 *Exanclare exhaurire, egerere* (= Vat. 1468 V 499, 25; om. *egerere* cod. Sang. IV 235, 61; cf. etiam Placid. V 20, 2 = 66, 10) cf. P. 80, 13 *Exanclare exhaurire*. Praeterea cf. AA V 453, 37 *Epicroa per-*

1) Glossa IV 29, 49 *Capronae* aperta scholii (Luciliani?) vestigia ostendit: *hic* (!) . . . *proprie* (cf. supra ad gl. *Nenias* et *Rivales* et infra ad gl. *Despondit*); ex Festo igitur petita esse non potest, etsi similis est interpretationis pars altera eis, quae P. 48, 12 exhibet; cf. etiam Placid. V 14, 33 = 51, 28; Non. 22, 3. Verum ipse L. sensit 'Journ. of Phil.' XXXIV 277; quam eodem loco tangit glossam IV 29, 48 *Caracutium*, eius initium etiam apud Isidor. Orig. XX 12, 3 legitur, unde Suetonii Pratum communem fontem esse conclusit Loewe Gl. N. 244. — De Verrio auctore cogitare possis in glossis AA V 448, 58 et 59 *Copis copiosus dives* et *Cope copiosa* coll. Capro apud Prisc. GL II 321, 24 (*ops* et *cops pro opulentus et copiosus*) et F. 190, 18 (P. 191, 11); Caprum enim Verrii copiis usum esse constat. Veri tamen similis glossas ad certos auctorum locos spectare (non ad Plaut. Pseud. 674, ubi *copi pectore*; cf. Non. 84, 16).

2) Glossam IV 50, 28 *Despondit hic in defectionem dedit* ad certum auctoris locum (de Ter. Ad. 670 vix cogitandum) spectare consentaneum est (cf. supra ad gl. *Capronae*); Lindsayi interpretatio admodum contorta est. — Quae in Cass. glossae IV 50, 29 adiecta sunt, ea interpolationis suspicionem commovent: ultima enim (*unde — concla<man>stur*) ad verbum fere consentiunt cum Donato ad Ter. Eun. 231

lucida (= Abav. mai. V 628, 37; Placid. V 21, 4 = 65, 5) et P. 82, 13 *Epicrocum genus amicali . . . tenue et perlucidum*.

F: comparari potest sola glossa IV 74, 14 *Falcones qui pollices pedum intro curvos habent* (= Aff. IV 516, 30; L. gl. V 197, 37; Ampl.² V 293, 23; AA V 455, 41; gl. Scal. V 600, 3; Ampl.¹ V 361, 50; Cantabr. F 51?) cum P. 88, 8 *F. dicuntur, quorum digiti pollices in pedibus intro sunt curvati* etc.

G: —

H: IV 85, 59 *Heredium praedium* cf. P. 99, 19 *H. pr. parvulum*.

I: IV 92, 1 *Insulae sunt quae non iunguntur communibus parietibus cum vicinis* cf. P. 111, 5 *I. dictae proprie quae non iunguntur communibus parietibus cum vicinis* etc. IV 92, 2 *Insupare inicere* cf. P. 111, 15 *I. inicere, unde fit dissipare*; IV 92, 3 *Insitum ab inserendo †ut inmarinatum maturius†* cf. P. 111, 10 *I. ab inserendo tractum* etc. Adde Aff. IV 530, 1 *Inpos non potens animi*, cf. P. 109, 5 *I. est qui animi sui potens non est* etc.

L: IV 111, 17 *Lustra cubilia aprorum in silvis* cf. P. 120, 8 *L. significat lacunas lutas, quae sunt in silvis aprorum cubilia* etc. (gl. IV 111, 16 *Lustrum quinquennii tempus aut lumen* num cum P. l. c. significat nunc tempus quinquennale, nunc populi lustrationem conferri possit, valde dubito). Praeterea cf. AA V 462, 33 *Lacit illicit inducit* (*incidit* codd.; cf. Vat. 1468 V 505, 10) cum P. 116, 15 *Lacit decipiendo inducit* etc. et 117, 9 *Lacit inducit in fraudem* etc.¹⁾

Ad finem postquam pervenimus, iam videamus quid de glossis supra collectis statuendum sit. Atque duo esse illarum genera distinguenda nemo non intellegit; quorum alterum — glossas dico priore loco collocatas — ita comparatum est, ut si quis eas ex Festi libro derivatas esse contendat, haec sententia argumentis ex ipsis glossis petitis redargui vix possit. Alterum vero genus quin magnam moveat dubitationem, fieri non potest; etenim quomodo explicabis partem glossarum non ita magnam a compilatore plane integram ex fonte esse translatam, partem multo ampliorem cogente nulla necessitate tam libere tractatam, ut interdum satis parva remanserit similitudo? Nam quod L. (p. 3) dicit compilatorem saepius ea de causa abiecta Festi interpretatione suam

1) Glossa IV 108, 27 (= AA V 463, 42), quae a P. 116, 19, etsi re consentit, tamen verbis plane differt, mea quidem sententia sic restituenda est, ut Goetz in Th. gl. proposuit *Lizabundus dicitur, qui voluptatis causa ambulat*; de particula versus dramatici cogitari non potest. — Ad gl. IV 109, 1 a, quae inter glossas Abstr. legitur (eadem exstat in AA V 463, 30 et ex parte in L. gl. V 218, 18), v. d. adnotat aut agi de scholio Vergiliano ad Abstr. pertinente aut de glossa Festina ex Abol. desumpta; hoc si verum sit, inde concludi posse Verrium Flacum adhibito Suetonio a Festo esse retractatum. At Suetonii apud Festum nec vola nec vestigium; rectius Thomson gl. ad Verg. Aen. II 616 spectare censet.

ipsius substituisset, quo faciliores essent glossae ad intellegendum clericorum discipulis, hoc quam futile sit argumentum in promptu est: ne Paulus quidem, qui aliquot saeculis post totum Festi opus retractavit, tantopere a fonte recedere necesse duxit. Alia igitur ratione rem expediendam existimo. Iam qui omnem materiam a Lindsayio collectam perlustraverit, is facile concedet satis magnam inesse copiam glossarum ad certos veterum auctorum locos spectantium, id quod in eas quoque glossas cadit, quas supra consulto consilio neglexi, quippe cum nullo modo ad Festum eas revocari posse mihi persuasissem. Accedunt haud paucae glossae rerum explicationi destinatae eaeque interdum non parvi pretii. Quae si comprehendimus, veri non videtur dissimile praesto fuisse ei, qui glossarium Abolita composuit, satis amplam collectionem glossarum vetustiorum eamque ex parte quidem cum Festo eodem necessitudinis vinculo coniunctam, quo Placidei glossarii eam partem, quae glossas breviores easdemque pretiosiores amplectitur. Quod si recte conicitur, mirum non est in Abolita saepius glossas ex illo fonte petitas certum obtinere locum: plerumque enim, sicut L. observavit, antecedunt glossas Apuleianas, Terentianas, Vergilianas, unde concludi potest has postea demum esse receptas, id quod L. quoque (Abol. 273 sqq.) suspicatus est. Quae cum ita sint, Loewio in universum assentiri non dubito sic disserenti (Prodr. 11) 'glossas mere latinas quae proprie sic vocantur non ex Paulo-Festo-Verrio Flacco sumptas esse, sed, quamvis ad unum eundemque fontem, scriptorum dico locos certos, saepissime redeunt non raro simillimae sint, fere semper tamen ex prorsus aliis atque ex Festo rivulis fluxisse' et (17) 'non dubito quin bona pars doctissimarum glossarum ad vetustissimos glossographos — Aurelios Opillios dico, Aelios Stilones, Servios Sulpicios, alios — redeant, quo ex fonte quae hausta erant per multos rivulos ducta postremo in glossaria nostra pervenerunt' (cf. etiam Gl. N. 95). In his autem, Placidum si exceperis, glossarium Abolita principem obtinere locum post alios Lindsay optime comprobavit, etiamsi concedendum sit non esse certissimum ad unam omnes quas congessit v. d. glossas ex Abolita glossario ampliore et integriore esse haustas. Nam qui glossas Abstrusa perlustraverit, eum non fugiet ibi quoque exstare quae ad fontem satis antiquum redire sit veri simillimum. Velut glossa IV 127, 5 (= 11) *Nusciosus qui plus vespere videt* quin nescio quo modo ad Aelium Stilonem revocanda sit, cuius interpretatio apud Festum 173, 24 servata est (*qui plus videret vesperi quam meridie* etc.), dubitari vix potest. Idem valere videtur de glossis IV 103, 13 *Karinantes inludentes vel inridentes* (v. Th. gl. s. v. *Car.*), quae ad Ennii Ann. v. 563 referri potest (cf. Prodr. 14 adn. 1); IV 13, 19 *Aginantes explicantes* (cf. ibid. 427); IV 26, 18 *Bovinatores inconstantes* (cf. Placid. V

8, 11 = 50, 33; vox Luciliana est, v. 417 Marx); IV 29, 14 *Catax a coxa* (<clodus>) (nisi forte ad Abol. pertinet, cf. IV 28, 34; de varia huius glossae forma v. Th. gl.; cf. Lucil. v. 77); IV 30, 23 *Claret patet, manifesta est* (cf. Enn. Ann. v. 372 *gloria cl.*); IV 181, 10 *Tagax furunculus* (at cf. Abol. IV 185, 33; gl. Lucil.? cf. v. 1031 et Fest. 359, 12); IV 26, 33 (*cd*) *Buccones stulti rustici* (ad Plauti Bacch. 1088? cf. Prodr. 265); IV 99, 27 *Interpolis vestis quae ex vetusta fit quasi nova* (cf. Fronto p. 161 N.; vix ad Plauti Most. 274 refer.); IV 130, 8 *Obstupida amens vel mente turbata* (cf. Plauti M. gl. 1254); IV 138, 8 *Patrissat patri similis fit* (cf. Plauti Pseud. 442); IV 191, 29 *Vestiplica femina quae vestes plicat* (cf. Plauti Trin. 252); IV 25, 35 *Biti proficisci* (vix ad Plaut. Trin. 885); IV 25, 27 *Blitea stulta* (cf. Plauti Truc. 854); IV 114, 1 *Mastigia male serve aut serve nequam* (cf. Ter. Ad. 781); IV 164, 12 *Ringitur irascitur, indignatur* (cf. Ter. Phorm. 341); IV 185, 10 *Tongillatim singillatim* (v. Prodr. 334); IV 20, 46 *Armillum vas[a] sacrorum* (cf. Paul. 2, 5; gl. Lucil.? cf. v. 767); IV 51, 11 *Dedita opera valde (mala codd.) data* (ad Ter. Eun. 841? an ad Naev. Agitat. fr. II R.?). Huius generis glossas, quarum numerus fortasse augeri potest, Lindsay (Abstr. 124 sq.) ex Festo derivandas esse suo iure negat; easdem si ex scholiis Vergilianis ('Donati') desumptas esse suspicatur, talis coniectura mea quidem sententia omni caret fundamento.¹⁾ Propius ad veritatem accedere videtur, quod ibidem proposuit v. d., fontem esse grammaticum sermonis antiqui rationem habentem. Ceterum moneo ex glossis l. c. congestis nonnullas esse eximendas, quippe quae non tam ad Abstrusa quam ad Abolita pertinere videantur (IV 120, 35 *Murgiso*, cf. 120, 43; 87, 41 *Hostit*, cf. 87, 52; 10, 2 *Adrumavit*, cf. 8, 9; 103, 9 *Kalones*, cf. 28, 32; 113, 36 *Manticulare*, cf. 113, 7; 181, 15 *Talatrum*, cf. 181, 35; adde *Nusciosus*, *Catax*, *Tagax*, de quibus v. supra).

Iam ad glossarium Abolita ut redeamus, ex iis quae supra exposui neminem existimo non intellexisse simillime rem se habere atque in glossarii Placidei glossis brevioribus, quas, licet minus aut magis similitudine quadam excellant, ex Festo fluxisse Goetz supra (p. 66) suo iure negavit. Itaque ea, quae artiore vinculo coniuncta sunt, ad communem potius fontem referemus.

1) Sane apud Serv. Dan. ad Aen. VIII 361 Enni versus laudatur, sed non Enni *carinantes* explicatur: *carinare est obtrectare* adnotat scholiasta. Neque magis gl. IV 87, 41, si modo ad Abstr. pertinet (cf. 87, 52), ex Serv. Dan. ad Aen. II 156 petita esse potest, ubi formae *hostit* nec vola nec vestigium. Quae inter gl. IV 56, 23 *Discerniculum* et Serv. Dan. ad Aen. XI 144 intercedit necessitudo, ea vereor ne nihil probari possit. Quomodo vero conferri possit gl. *Kalones* (v. Th. gl.) cum Serv. Dan. ad Aen. VI 1 (cf. Serv. ad Aen. I 39), equidem non intellego.

Quod attinet ad glossarium codicis Sangallensis (cf. supra p. 127), de iis glossis, quae in Vaticano quoque et Cassinensi reperiuntur, res iam expedita est; redeunt enim ad glossarium Abolita, quod ex Festo vel Paulo pendere negavimus. Idem cadit in alias glossas Sangallensi proprias aut cum AA aliisque collectionibus communes, quarum maximam partem contra Lindsayium disputantes iam absolvimus. Restant paucae glossae a Goetzio l. c. prolatae hae: IV 206, 28 *Anxati vocati, nominati* (= AA V 440, 25; Vat. 1468 V 491, 35) cf. P. 8, 9 *Azure nominare*; IV 265, 7 *Oppidanus . . . apud antiquos oppida dicta sunt quod opem darent* cf. P. 203, 2 *Oppidum dictum est quod opem praebet*; IV 278, 56 *Remillo repando* (integrior forma addito *pronulo* Abol. IV 162, 6 a; AA V 479, 20; al.), cf. F. 277, 19 *Remillum dicitur quasi repandum. Lucilius ('remillum') et Afranius . . .*; IV 281, 47 *Sarissa genus teli Macedonici* (= AA V 481, 25), cf. F. 318, 18 *S. est hastae Macedonicae genus*; IV 206, 8 *Alcitellus* (leg. *Altellus*) *alte evocatus* (= Vat. 1468 V 491, 6 *A. u. voc*; cf. AA V 436, 17 *Acitella alte edocatus*) et IV 206, 10 *Altellus terra nutritus* (= AA V 438, 54 *A. terrę n.*), cf. P. 7, 10 *Altellus Romulus dicebatur quasi altus in tellure* etc.; IV 235, 8 *Exhaustant exhaustiunt*, cf. P. 82, 6 *Exh. efferunt*; IV 202, 39 *Acieris securis, quam flamines seu pontifices habebant* (= AA V 436, 15), cf. P. 10, 1 *A. securis aerea, qua in sacrificiis utebantur sacerdotes* (gl. <Bola> *pulma manus*, IV 314, 28, quae cum P. 370, 7 . . . *sed et palma manus vola dicitur*, conferri potest, non in Sang. exstat, sed in Abav.; a Paulo longe distat gl. Sang. IV 296, 49). Iam qui haec exempla consideraverit, is opinor concedet iis non magis rem esse cum Festo aut Paulo, quam illis, quas Lindsay ad hunc fontem referre conatus est; tantopere enim aut lemmatis (cf. *Anxati, Remillo*) aut interpretationibus differunt, ut quomodo talem diversitatem commode explices, vix habeas. De Lindsayi coniectura, qui partem glossarum 'Festinarum' per Ps.-Philoxenum in glossarium codicis Sang. venisse censet, infra quid iudicandum sit videamus.

Transeamus ad glossarium AA, cui haud paucas glossas Festinas inesse Goetz supra (p. 145) monuit. Atque exemplorum, quae protulit, pars iam tractata est; restant haec: V 438, 8 *Agia via in navi longa † quae remigis hortantur et solent ambulare†* (de emendatione v. Th. gl.), cf. P. 10, 10 *Agea via in navi, dicta quod in ea maxime quaeque res agi solet* (itaque Festo *Agea* ab agendo dicta est, glossae auctori *Agia* = ἀγρία ab ambulando!); V 438, 9 *Aginatus (-tor?) qui agit aliquid id est negotiator (aut tricactor, morator, vacuus)* cf. P. 10, 3 . . . *aginatores dicuntur, qui parvo lucro moventur*; V 439, 10 *Ambacti servi, coloni, lixae* (cf. Plac. V 7, 43 = 47, 2 *A. servi*), cf. P. 4, 13 (? v. supra); V 439, 13 *Ambest circum est*, cf. P. 4, 15 (sine interpretatione!); V 439, 31 *Amites perticae aucupum*,

cf. P. 21, 5 *A. p. aucupales*; V 439, 36 *Amoena loca bona cum arboribus decorata* etc., cf. P. 2, 9 (plane diversa!); V 440, 20 *Antiquare veterem id est ut fuerit videre, antiquam esse vel notare*, cf. P. 26, 12 *Antiquare est in morem pristinum reducere*; V 440, 22 *Antruare non (?) dare*, cf. P. 9, 12 *A. gratias referre*; V 440, 40 *Aplustria ornamenta navis* (= L. gl. V 167, 21; Sang. IV 207, 16), cf. P. 10, 2 *A. navium ornamenta* etc.; V 435, 25 *Ablunda panici et milei folliculus* = V 440, 48 *Apl. paniculi et m. <f.>* (= Sang. IV 201, 35), cf. P. 10, 14 *Apluda est genus minutissimae paleae frumenti sive panici* etc. (cf. etiam Plac. V 6, 30 = 48, 9); V 440, 51 *Aprta folea vitea* (= Sang. IV 202, 22), apud P. deest; V 441, 17 *Arillator mercator*, cf. P. 20, 12 *A., qui etiam coccio appellatur, dictus videtur a voce graeca, quae est αἴψα id est tolle, quia sequitur merces* etc.; V 442, 7 *Augur per quem in publicis privatisque rebus deorum mentem homin(es cognoscunt omin)ibus enuntiatis per auspicia, quomodo quidque sit gerendum (!)*, cf. P. 2, 1 *A. ab aivibus gerendoque dictus, quia per eum avium gestus (!) edicitur* etc.; V 442, 14 *Aureax equus solitarius* (= Sang. IV 209, 27; Ab abs. IV 406, 40; cf. Ps.-Phil. II 26, 51), cf. P. 8, 12 *A. auriga (!)* etc.; V 443, 23 *Blaterare corrupte et perperam loquere, sicut ebrius cum delerat*, aliter P. 34, 2 (v. supra); V 443, 24 *Boare clamare, sonare* (= L. gl. V 172, 15; Ampl.² V 271, 63), cf. P. 30, 4 *Boare id est clamare, a graeco descendit*; V 450, 8 † *Deterimi* (leg. *Decermina*) *sunt proprie stercorea, ex frumento quae excernuntur* (= Abol. IV 53, 46), cf. P. 72, 7 *Decermina dicuntur, quae decerpuntur purgandi causa* (F. a decerpendo derivat, gl. ab excernendo!); V 456, 52 *Fidustum fidum, fidelem*, cf. P. 89, 15 *Fidusta (!) a fide denominata* etc.; V 467, 35 *Naccam fullonem* (= Abol. IV 122, 34, ad Apul. Met. IX 22!), cf. F. 166, 2 *Naccae appellantur vulgo fullones* etc.; V 481, 22 *Sarcito reficito, restituito, praestato*, cf. F. 322, 14 *S. in XII Ser. Sulpicius ait significare damnum solvito, praestato*. Accurata comparatione instituta iterum ad eundem finem pervenimus: hic illic quaedam cognoscitur similitudo neque tamen tanta, ut glossas ad Festum referre possimus. Simul autem apparet glossarium AA pendere ex glossis Abolita (cf. imprimis communem corruptelam *Deterimi*, cui aliae possunt addi); porro ex eodem fonte communi explicandus est consensus, qui inter AA et cod. Sang. exstat. Quae cum ita sint, cum Goetizio facere non possum, qui diversam esse sibi persuasit necessitudinem inter tria illa glossaria — Vatic.-Cass., Sang., AA dico — et Festum intercedentem.

Admodum difficilis est quaestio de aliis quibusdam glossariis. Agitur de codicibus Vaticano 1469 anno 908, Cassinensi 90 saeculi XI (cf. Loew, 'Beneventan Script.' 343), Vaticano 1468 saeculi XI (cf. ibid. 152), de quibus nuper egit Lindsay (Fest. gl. 130 sqq.). Quam-

quam ex iis, quae Loewe excerpserit, de natura horum glossariorum integre iudicare non licet, tamen illa quodammodo cum gl. Sang. et AA cohaerere procul dubio est. Accesserunt autem praeter glossas aliunde non notas excerpta ex variis auctoribus, in quibus sunt Fulgentius, Isidorus, Beda, Pauli epitoma Festi, ut de glossis Iuvenalianis et Vergilianis taceam. Qui artiore vinculo coniuncti sunt, Vatic. 1469 et Cass. 90, utrum alter ab altero pendeat (quae Lindsayi videtur esse sententia) an a communi fonte uterque, nondum satis exploratum est; hoc tamen pro certo affirmari potest Paulum ipsum non paucis locis esse excerptum atque id non ita magna diligentia. Velut cum apud illum p. 323, 6 scriptum sit *Sardare intellegere*. Naevius 'quod nec satis sardare queunt', glossaria (V 526, 8; 578, 31) exhibent *S. i. Nevius 'quod bruti sardare nequeunt'*; similem licentiam sive neglegentiam invenimus in glossa *Actus* (V 520, 8; 559, 15) coll. P. 17, 13; cf. gl. V 526, 17 et 580, 17 (verborum ordo turbatus in Cass.) cum P. 311, 6; V 527, 9 cum P. 353, 8; etiam gl. V 526, 18 ab excerptore pro arbitrio mutata videtur esse (cf. P. 311, 8). Talia ut ad excerptorem referamus, monet prorsus eadem condicio glossarum, quae ex Isidoro et Fulgentio depromptae sunt. Difficultatem praebet una glossa *Ceres* (V 521, 14 + 15 = 565, 5 + 6), quae ex Paulo 58, 14 desumpta esse non potest. Ibi enim legimus *Cocum et pistorem apud antiquos eundem fuisse accepimus*. Naevius 'cocus' inquit 'edit Neptunum, Venerem, Cerecem'. significat per Cerecem panem, per Neptunum pisces, per Venerem holera'; in glossariis vero exstant haec: *Ceres* (frumentum vel) panem, *Liber* (vitem vel) vinum, *Venus* (libidinem vel) holera, *Neptunus* (aquam vel) pisces, *Vulcanus* ignem (vel solem) significant. 'Cocus edit Neptunum, Cerecem et Venerem expertam Vulcanum, Liberumque pariter absorbit', id est: cocus comedit pisces et panem et holera cocta ad ignem et vinum pariter bibit (varias lectiones, quibus Cassinensem ex Vaticano derivare vetamur, neglexi). Plenior glossarum memoriam ad Festum redire Goetz (Ind. Ien. 1886, V) conclusit; quod si accipimus, fieri vix potest, ut hoc Festini operis fragmentum ad eundem referamus, qui Pauli epitomam excerpserit; non enim intellegitur, cur ille, si integri de verborum significato libri ei praesto erant, reliquas glossas non ex eodem fonte hauserit. Aut igitur omnia me fallunt aut ille glossam (vel potius glossas) ex alia glossarum optimarum collectione transtulit. Quod vero ad Festinam originem attinet, aliquot mihi restant scrupuli. Nam primum quidem desiderantur in glossa, quae Pauli verbis *Cocum — accepimus* respondeant; quae non est cur ex epitomatoris ingenio fluxisse credamus (cf. Plin. NH XVIII 107 sq.; Münzer, 'Beitr. z. Quellenkrit. d. NG d. Plin.' 302). Itaque glossarum auctor id ipsum omisit, in quo Festo (Verrio) summa rerum posita erat. Deinde Goetzio

probabile non videtur Festum mancā sententiam exhibuisse. At auctoris intentionem si respicias, vix quicquam desiderabis; etenim ut eam loci Naeviani partem afferret, qua Vulcanus et Liber nominantur, nihil causae habebat. Illius vero, ad quem glossa referenda est, grammatici versus metonymiis refertos explicare intererat; has metonymias primo loco posuit, versibus ipsis proprium sensum commentatorum more subiecit. Similitudo igitur inter glossas et Pauli locum non tanta est, quanta primo obtutu videtur. Ceterum harum glossarum condicio fere eadem est atque glossarum *Nequimunt*, de quibus supra disputavi: utrobique ex una glossa duae ab eadem littera incipientes factae sunt, utrobique verum auctoris nomen omissum est. His etsi non nimium tribuerim, tamen de eodem fonte optimo atque vetusto cogitari posse nemo negabit.

Ex eodem codice Vaticano 1469 Goetz olim (Mus. Rhen. XL 324sqq.) aliquot glossas memorabiles protraxit, quae glossario Asbestos additae sunt (habes eas sub uno conspectu in vol. IV p. XVIII compositas). Quas glossas non omnes eiusdem generis atque pretii esse virum doctissimum minime fugit. Cum Isidoro (Orig. XI 1, 62) plane consentit gl. *Ola summi umeri pars posterior*. Ad Paulum propius accedunt glossae hae:

P. 212, 8

*Pegnides Musae ob ingentem
liquorem appellantur a fonte,
quem ungulae ictu patefecisse
dicitur equus.*

*Pegnides Musae
dictae sunt a fonte,
quem Pegasus ictu ungulae
fingitur aperuisse etc.*

P. 212, 10

*Pepteides Musae a fonte
Macedonico dictae sunt
propter liquoris eius unicam
subtilitatem splendoremque.*

*Pepteides Musae a fonte
Macedoniae dictae
propter liquoris eius unicam
subtilitatem.*

Ex ipso Paulo has glossas fluxisse ut sumamus, monent mirae lemmatum corruptelae (pro *Pegasides* et *Pipleides*); discrepantiam quominus excerptoris licentiae imputemus, nihil videtur impedire (verba *ob ingentem liquorem* Goetz ipse in suspensionem vocavit).

Ad eundem fontem revocari posset glossa *Propudia quasi porro pudenda vel a quibus pudor et pudicitia procul absint. propudiosae meretrices*, nisi Paulus 227, 3, praeterquam quod tota glossae forma aliquantum differt, numerum ubique exhiberet singularem, quem ex Festo receptum esse veri simile est. Ceterum uterque pro *absint* habet *sint*; ultima glossae verba ne apud Festum quidem exstitisse certum est. Quadeccausa Festina glossae origo aliquo modo in dubium vocatur. Certior res esse videtur in glossa *Penem antiqui codum vocabant i. veretrum*, dummodo ultimum glossema ab excerptore additum sumamus; vocem *antiqui* cum

solus Festus (230, 21) exhibeat, ex Paulo (231, 11) glossa desumpta esse non potest. Item de Paulo fonte non cogitandum in glossa *Pipatio est clamor plorantis acerba voce. Lucilius* etc.; quam glossam ex Festo petitam facile concederem, nisi obstaret Pauli additamentum *lingua Oscorum* (212, 9), cuius in Vaticani glossa, quae integra servata esse videtur, nec vola nec vestigium, sicut apud Paulum glossae verba *acerba voce* (cf. *clamorem acerbum*) desiderantur. Hanc discrepantiam quomodo explicem, si revera glossa ex Festo sumpta est, non habeo, nisi forte Paulum suo Marte vocem *pipatio* Oscorum linguae tribuisse sumimus (cf. 212, 11 *Pitpit Osce quicquid*). Sed nescio an eodem iure glossam Lucili exemplo ornatam ex illo fonte derivare possimus, cui duae aliae glossae Lucilianae debentur, scil. *Abzet . . . Lucilius in XXII . . . et Pedicum . . . Lucilius in II salutarum . . .* Non propterea glossas a Festo abiudicandas esse, quod hic librorum numerus additur, qui apud illum fere omittitur, recte monuit Lindsay ad F. 174, 8 revocans, ubi *Lucilius libro II* legitur. Ab altera parte non habemus quibus ex Festi libris deperditis glossas illas excerptas esse comprobemus. Iam vero si ultima glossa *Ta-gax furax* (cod. *fug.*), id quod probabile est, ad Lucilium pertinet, inde fontem assequimur a Festo diversum, quippe qui 359, 12 exhibeat *Ta-gax furunculus* etc. Similiter res se habet in glossis *Nitator* (scr. *Natinator*) *sediciosus* et *Natina* (*-natio*?) *discordia*, quarum illa fortasse ad Festum 166, 31 (vel potius ad P. 167, 3) referri possit, haec non item; nam F. *Natinatio* inquit *dicebatur negotiatio*.

Ex reliquis glossis una memorabilis est *Ranna narium medium*, quam Goetz ad Iuven. VI 306 (*Sanna*) revocavit; quod si recte fecit, haud scio an ad eundem fontem ducamur, cui debentur glossae Iuvenalianae, quae passim in Vaticanis et Cassinensi inveniuntur, velut *Cen-tone lupanar* (= I. VI 121) *velum de multis pannis* (V 494, 22 = 521, 16 = 564, 59); *Cena tamen* (= I. V 24) *cenam iniuriosam* (V 521, 17 = 564, 58); *Cerdones* (cf. I. IV 153) *vulgares* (V 494, 27 = 521, 19 = 564, 60); *Catthis* (= I. IV 147; ad *torvis*?) *crudelibus* (V 520, 28); *Baptae* (= I. II 92) *sacra seu sacerdotes* (V 492, 32); † *Cleanthas* † (= I. II 7; gl. pertinet ad *pluteum*) *armarium seu bibliotheca* (V 521, 24); *Crustula* (= I. IX 5) *dulcia* etc. (V 521, 29); *Galero* (= I. VI 120) *capillo* (V 522, 21 = 569, 31); *Loculis* (= I. I 89; XIII 139; al.) *scriniolis* (V 501, 35 = 523, 27 = 572, 4); *Livida* (= I. VI 631) *venenata, invida* (V 523, 25 = 571, 49); *Multicia* (= I. II 66; 76; XI 188) *vestis, quae multa licia habet* (V 524, 7 = 573, 13); *Podice levis* (= I. II 12) *corruptibilis* (V 524, 36 = 576, 19); *Unda prior* (= I. III 244) *populi multitudo* (V 528, 4); *Fabrateria* (*e domus*) (= I. III 224) *domus, ubi fabricae sunt* (V 499, 69 = 568, 45); aliae. Quae cum ita sint, non omni videbitur carere probabilitate, si quis omnes, de qui-

bus disputavimus, glossas ex eadem collectione petitas esse coniciet, quae ab altera parte amplectebatur glossas ex recentioribus libris (inter quos Pauli epitoma Festi) excerptas, ab altera glossas ex vetustiore fonte desumptas. Qui fons num aliquo modo cohaereat cum glossario Abolita et ipso glossis aliquot Iuvenalianis (velut *Acoenonoetus*, *Bascaudas*) insigni, in medio relinquam; in re incertissima arte nesciendi uti videtur esse tutius. Hoc tamen demonstravisse puto sententiam de Festina quarundam glossarum origine maximis obnoxiam esse dubitationibus.

Vt ad Lindsayium revertamur, v. d. altera quoque via glossas Festinas in glossaria mere latina transisse sibi persuasit, sc. intercedente glossario latino-graeco, quod Philoxeni nomine non recte ornatum est; quo in glossario haud pauca Festini operis vestigia servata esse inde a Scaligeri temporibus paene consentiens omnium est opinio. Nititur autem ea inprimis sagaci clarissimi philologi coniectura, qua Pompeium illum, qui vol. II 8, 21 laudatur, eundem esse censet atque Pompeium Festum librorum de verborum significato auctorem. Ab hac profectus coniectura Dammann (v. supra p. 10; 25 sq.) quae ad Festum revocari posse sibi persuasit, magna diligentia composuit; numerum talium glossarum Goetz auxit (supra p. 28 sqq.), qui tamen caute addidit non dubitare se, quin addi et demi possent exempla.

Ac recte hoc ille mea quidem sententia; non enim eiusdem omnia sunt generis. Multae glossae ita comparatae sunt, ut Festi interpretationem in graecam linguam magis aut minus accurate translatam facile agnoscas; aliis vero locis Ps.-Philoxeni interpretamenta adeo aliena sunt a Festo vel Paulo, ut glossarum auctor aut ipse sibi illa finxisse aut diversum fontem adhibuisse putandus sit. Velut II 41, 7 legimus *Defrensa ἔρρουρα θερισθεῖσα* (cf. 15 *D. ἔρ. θερισμός*), apud P. 74, 16 *Defrensam detritam* atque *detunsam*; II 124, 33 *Lucar θεατρικῶν γελικῶν* (?), *μισθὸς ἀπὸ φίσκων*, apud P. 119, 9 *L. appellatur aes quod ex lucis captatur*; II 163, 5 *Prosiciae αἱ τῶν θυμάτων ἀπαρχαί*, apud P. 225, 15 *Prosicium quod praesecatam proicitur*; ac ne quis obiciat quae apud Paulum desiderantur apud Festum olim exstitisse, conferas velim II 157, 4 *Pracmetium ἡ πρὸ θερισμοῦ Δημήτρας θυσία* et F. 234, 23 (et P. 235, 4), ubi vix Ceres commemorata erat, vel II 188, 50 *Stlata πειρατικὸν σκάφους εἶδος* cum F. 313, 5 (et P. 312, 6), ubi eiusmodi interpretationis nihil legitur. Iam audi Dammannum, postquam gl. II 29, 50 *Bilbit βομβύζει* cum P. 34, 5 *B. factum est a similitudine sonitus qui fit in vase*. Naevius etc. contulit, de gl. II 29, 38 *Bilbit ἐπισκιασμός φωνῆς* p. 41 adn. 8 ita disserentem 'Iam compluribus huius disputationis locis occurrebant glossae apud Ps.-Ph. bis traditae, quarum alteras (e. g. 56, 6 *dubius*, 186, 6 *solox* al.) ex Festo fluxisse probabile fecimus, alterae unde originem duxerint

nescimus. Ex Festo autem certe non petitam esse Ps.-Ph. 29, 38 ... ostendit Loewe in prodr. p. 191; quae quin ad eundem Naevii locum spectet ad quem Ps.-Ph. 29, 50 ... tamen non dubito. Vnde verisimile videtur esse alteras talium glossarum bis extantium suam vim et auctoritatem habere neque quidquam cum Festo commune nisi quod ad eundem scriptoris locum redeunt. Confirmatur fortasse haec sententia paucis glossis exquisitioribus, quae apud Ps.-Ph. pristinam formam servaverunt, apud F. (P.) exhibent simpliciore. Huc spectant e. g. tales: Ps.-Ph. 48, 24 ... P. 72, 13 ...; Ps.-Ph. 17, 2 ... P. 8, 9 ... Non difficile videtur alia addere exempla; velut II 17, 21 *Anclat ἀρύεται* (cf. 63, 48); 62, 16 *Epicrocum τηλαυγές*; 154, 3 *Porca τὸ μεταξὺ τῶν κυμάτων*; 16, 25 *Amiles στάλικες*; 96, 1 *Calator κλήτωρ* et 96, 3 *Calatores ἐκβιβασταὶ ἱερῶν*; 111, 32 *Conpitalia ἄμφοδα ἡ ἀτραπῶν ἐορτὴ ἐν Πώμῃ γινομένη*; 90, 6 *Intercapedo διάστασις καιροῦ*; al. Talibus glossis si evincitur praeter Festi libros alium fontem adhibitum esse, glossarium scilicet, quod inter alia prisci sermonis exhibebat interpretationes, quid obstat quominus eas glossas, quae a Festi vel Pauli memoria magis minusve recedunt, tantum non omnes eidem fonti adscribamus? Accedit quod nonnullae glossae, quae hic respiciendae sunt, in aliis glossariis reperiuntur, quae a Festo non pendere aut constat aut veri est simillimum. Huc pertinent II 3, 41 *Abiugassere* (cf. Plac. V 7, 5 = 43, 5; Sang. IV 201, 16; A A V 437, 4; 435, 21); 7, 51 *Ad incitam* (cf. Plac. V 6, 7; Ampl.² V 262, 19; A A V 437, 5); 17, 36 *Ancti* (cf. Aff. IV 482, 14; Ampl.² V 266, 40); 22, 15 *Astraba* (cf. Ab abs. IV 406, 29; gl. Scal. V 591, 17); 96, 24 *Calvitur* (cf. Plac. V 14, 15 = 52, 7; Ampl.² V 274, 59; Sang. IV 215, 2; Abol. IV 27, 53); 114, 35 *Conticinium* (cf. Plac. V 15, 24 = 58, 24; al.) etc.; quae glossae etsi saepius interpretationes habent diversas, tamen ostendunt non uno rivulo omnia permanasse in collectiones, quae nobis praesto sunt. Idem nescio an valeat de glossis Ps.-Philoxeni, quae auctorum nominibus insignes sunt aut hoc modo: *ὡς Ἐννιος, ὡς Πλαῦτος, ὡς Λουκίλλιος* aut hoc: *παρ' Ἐννίῳ, παρὰ Πλαῦτῳ, παρὰ Λουκελλίῳ*; tribus tantum locis alia conspiciuntur formula: s. v. *Iugula* (ορατιος ὡς φησι: incerta res, ad Horatium [c. I 28, 21] enim vix pertinet, fort. ὡς Ἄττιος φησι), *Arina* (κατὰ Βάρρων), *Atellani* (... ὡς δὲ τὸ βοιδιὸς ομηριστὴν† δηλοῖ: aequè incertum quod nomen lateat).¹⁾ Atque cum Festo aliquo modo conferri possunt glossae hae: II 16, 3 *Ambactus δοῦλος* (μισθωτός), ὡς Ἐννιος, cf. P. 4, 13 *A. apud Ennium lingua gallica servus appellatur*; II 13, 9 *Acceres ἀξίνη ἱεροφάντου*, ὡς Πλαῦτος, cf. 10, 1 *Acieris*

1) De Ovidio vix cogitandum; Ὀπεῖλιος et ὁ Λοῖβιος [Liv. VII 2] alii proposuerunt. Fuit cum de Οὐβίβιος ὁ μεσίτης = Vibius Sequester (cf. II 182, 37) cogitarem, sed in eius libello geographico nunc quidem de Atella et Atellanis nihil legitur.

securis aerea, qua in sacrificiis utebantur sacerdotes; II 18, 33 *Aplustra* πτερὸν πλοῦ, ὡς Ἑννιος, cf. 10, 2 *Aplustria* (!) *navium ornamenta* etc.; II 11, 16 + 17 *Agear* πάροδος πλοῦ παρ' Ἑννίῳ (res admodum dubia, cf. supra p. 28), cf. *Agea via in navi* etc.; II 34, 29 *Glos* ἡ τοῦ ἀνδρὸς ἀδελφῆ, γάλως παρὰ Πλαῦτῳ, cf. P. 98, 5 *Glos viri soror, a graeco γαλῶς*; fortasse addi possunt: II 20, 37 *Aquilum* μελανόν, ὡς Δουκίλλιος, cf. P. 22, 2 *Aquilus color est fuscus et subniger* (!) etc.; II 36, 35/36 *Guturnium* εἶδος σκεύους ὀστρακίνου, ὡς Βάρρων, cf. P. 51, 1 *Cuturnium* *vas, quo in sacrificiis vinum fundebatur*; maiorem dubitationem movent II 36, 34 *Gutulliocae* κάρνα μακρὰ παρὰ Δουκελλίῳ, cf. P. 98, 12 *Gulhiocae* *nucum iuglandium summa et viridia putumina* (cf. II 36, 26 *Gulhuca* καροιοτομία); II 17, 34 *Anglabres* τράπεζαι τρίγωνοι, ὡς Νάλβιος, cf. P. 11, 11 *Anclabris* *mensa ministeriis aptata divinis* etc.; maximam II 24, 38 *Arina* (οἷς add. Scalig.) μήτηρ κατὰ Βάρρωνα, cf. P. 20, 15 *Arni* (-nae Scalig.) *caput* (!) *agni* (!) *caput*. In his enim quas ultimo loco posui glossis similitudo aut minima est aut nulla. Eiusdem autem generis est illa glossa, in qua inprimis nititur de Festo Ps.-Philoxeni fonte sententia, II 8, 21 *Adoriosus* ἐνδοξος, ὡς Πομπύλιος. *Ador* (αδοῦ cod.) νίκη ὡς Περμπίος. Non multum tribuerim ei rei, quod hic non lemmatis sed interpretationis auctor nominatim affertur, quamquam id non prorsus neglegendum censeo (cf. κατὰ Βάρρωνα = secundum Varronem); sed apud Paulum 3, 10 et 12 quae afferuntur, satis recedunt a glossarum memoria. Etenim vox *adoriosus* desideratur et *ador* explicatur *far-ris genus*; exspectes in glossa *adoria* νίκη, cf. AA V 437, 16 *Adorea* *victoria* (= Ampl.² V 262, 7; al.; cf. etiam *Adoriiis* *victoriis* V 437, 15; 262, 21; IV 483, 38). At Paulus nihil habet nisi *Adoriam* *laudem sive gloriam dicebant* etc. neque ex eis quae secuntur veri simile fit aliam apud Festum exstitisse interpretationem. Aut igitur Festum hoc loco a Paulo misere retractatum esse aut glossam ab alio Festi loco, quem Paulus omisit, pendere putandum esset. Accedit quod non satis constat, num utrique glossae olim adscriptum fuerit nomen auctoris; fieri enim potuit, ut corrupto περμπίος supra scriberetur emendata lectio. Denique non omittam Pompeium quendam vocabulorum rariorem auctorem et ab ipso Festo 170, 25 (*numero*) et a Prisciano GL II 385, 10 (*despicari*) laudatum. Vtut est, rem procul dubio non esse satis constat. Quae cum ita sint, minime exploratum esse censeo glossas II 18, 32 *Applu*(r) (*appia* cod.) εἶδος σκεύους, ὡς Πακούβιος, II 18, 34 *Aprtra* ἀμπελόφυλλα, ὡς Τιτίνιος (media interposita est glossa Enniana *Aplustra*, v. supra), II 131, 61 (62) *Muttonium* προβασκάνιον (ὡς) Δουκί(λλί)ος, II 12, 52 *Acactum* ἀκανθα, ὡς Δουκίλλιος (-κιανος cod.), II 23, 42 *Aroscit* πλανᾷται, ὡς Λίβιος, II 26, 43 *A[u]xillae* μικρὰ πτερὰ, ὡς Βάρρων (cf. Ampl.¹ V 346, 41 *Auxillae* [sic] *alae minores*

= Cant. A 922; 942) ex uno Festo potuisse desumi. Quodsi recte statuimus aliis quoque rivulis glossariorum nostrorum arva esse irrigata, non iam habemus, cur glossas, velut II 30, 8 *Bidental τόπος κεραυνόπληξ*, Festo inculcemus, cum apud P. (33, 10) legantur longe diversa (cf. potius Ampl.² V 271, 42 *B. locus* [bis add. Aff. IV 489, 8] *de caelo tactus*; cf. etiam Porphyrio ad Hor. a. p. 471, qui ni fallor Festi sententiam apud Paulum servatam impugnat; praeterea cf. schol. ad Pers. II 27). Vix enim quisquam contendet duarum interpretationum in Festi libris propositarum alteram fere servatam esse a Paulo, alteram receptam a glossographis; tale quid enim usu venisse credendum esset in nonnullis glossis supra commemoratis. Minime igitur ad demonstrandam alicuius glossae originem Festinam sufficere videtur lemmatum quaedam similitudo sive maior sive minor neque plus inde colligendum est, quod haec vel illa glossa aut certo aut probabiliter ad vetustiores auctores latinos referri potest. Hic praeter glossas poetarum nominibus ornatas inprimis eae respiciendae sunt, quibus adscripta est vox ἀρχαίως: II 15, 13 *Almities αὔξεισις* ἀ.; II 25, 6 *Arillator* (*Arill-* cod.) *μετάβολος* ἀ.; II 35, 7 *Gnare* ἀ. *ἐντρεχῶς*; II 126, 25 *Malatus στυγνός* ἀ.; II 176, 11 *Rumis θήλη* ἀ. (fort. etiam II 21, 41 *Ape πόλυσον*, si quod 21, 42 legitur *αχαν* cum Goetzio in ἀρχαίως mutandum est).

Similes glossas etiam in glossario Abavus inveniri iam Loewe intellexit (v. supra p. 131), quas ex libro cum Ps.-Philoxeno arte coniuncto depromptas esse ea re confirmatur, quod alibi quoque in illo glossario exstant, quae sine dubio ex glossario bilingui hausta sunt; cf. Goetz l. c. et Lindsay Aff. 199. Ad similem fontem videntur redire glossae quaedam, quae in littera A glossarii Ab absens reperiuntur, v. Goetz supra p. 133; quodsi v. d. hic quoque Festum subesse suspicatur, vereor ne lemmatum similitudine aliquantum deceptus sit. Conferas velim haec:

Ab abs.	Ps.-Philox.	Paul.
IV 404, 22 <i>Attubernalis vinnus, proximus</i> (l. -me) <i>a taberna habens</i> . (= Ampl. ¹ V 342, 22; Cantabr. A 872).	II 22, 48 <i>Attubernalis καπη-λογεῖτων</i> .	12, 6 <i>Adtibernalis habitator continuae tabernae</i> etc.
IV 406, 33 <i>Atanulu</i> (m?) <i>genus vasis</i> .	II 22, 47 <i>Atanulus</i> ἔγιον <i>ιερέως σκεῦος, κειμήλιον</i> .	18, 11 <i>Atanuvium</i> est <i>potuli fictilis genus, quo in sacrificiis utebantur sacerdotes Romani</i> .
IV 406, 40 <i>Aureax equus solitarius</i> (= Sang. IV 209, 27; AA V 442, 14).	II 26, 51 <i>Aureax solitarius</i> <i>ἱππαστής</i> .	8, 12 <i>Aureax auriga</i> etc.

Ab abs.	Ps.-Philox.	Paul.
IV 405, 24 <i>Alibre alimentum</i> (= Ampl. ¹ V 342, 21; 345, 16; Cantabr. A 454; cf. Th. gl.).	—	25, 4 <i>Alebria bene alentia</i> .
IV 404, 25 <i>Adasia ovis maior natu</i> (aliter AA V 436, 80; gl. n. II 564, 18).	—	12, 13 <i>Adasia ovis vetula recentis partus</i> .
IV 406, 29 <i>Astraba tabella, ubi pedes requiescunt</i> (= gl. Scal. V 591, 17).	II 22, 15 <i>Astraba</i> (-ma cod.) σάνις, ὑποπόδιον	—
IV 405, 11 <i>Aequilatum aequatio</i> (= gl. Scal. V 591, 3).	—	24, 8 <i>Aequilavium significat ex toto dimidium, dictum a lavatione lanae etc.</i>
IV 405, 39 <i>Ambulacrum spatium</i> <ad> ambulandum (= Abol. IV 16, 28, cf. Ampl. ¹ V 339, 38; Cantabr. A 542; L. gl. V 166, 2; Cass. 90 V 560, 48).	II 16, 15 <i>Ambulacrum</i> διάστημα, περίπατος.	21, 8 <i>Ambulacra ambulationes</i> .
IV 405, 33 <i>Albula fluvius in Italia, qui nunc Tiberis vocitatur</i> .	—	4, 10 <i>Albula Tiberis fluvius etc.</i>
IV 406, 14 <i>Arculus circulus, quod ubique arceat</i> (aliter AA V 441, 3).	—	16, 6 <i>Arculum appellabant circulum, quem capiti imponebant etc.</i>
IV 406, 20 <i>Arietat de ariete ferit</i> (cf. Th. gl.).	II 25, 15 <i>Arietat</i> (Arc.-cod.) κ(ο)ρύπτει, διεκίσταται.	—

Haec qui comparaverit, inter Ab abs. et Ps.-Philoxenum aliquam fortasse necessitudinem agnoscet, de Festo fonte magnopere dubitabit.

Restant glossae Amplonianae et, quae cum illis quodammodo cohaerent, glossae eius collectionis, quae codice Cantabrigiensi 144 ('Library of Corpus Christi College') servata est. His quoque glossariis Festina inesse Lindsay sibi persuasit atque ea recepta partim ex glossario Abolita partim ex Ps.-Philoxeno (integriore), quamquam concedit illos fontes neque inter se ubique distingui posse neque a Placido scerni, cuius vestigia hic illic appareant (cf. Corp. Ep. 67; 79; 83). Hanc secutus sententiam in editione glossarii Cantabrigiensis saepius Festi nomen adscripsit, sed ne hic quidem ultra coniecturas satis incertas mea quidem sententia provenit. Atque ut paucas eas glossas omittam, quas ex Abolita fluxisse certum est vel quas supra iam tractavi, agitur de his (conferas velim Th. gl.): A 933 *Avet cupit, gaudet* (cf. P. 14, 9 *Avere nihil aliud est quam cupere . . . cum significet et gaudere*); C 833 *Communicarium †pastiarium* (cf. P. 220, 19 *Pandicularis dicebatur dies idem et communicarius etc.*); F 43 *Fa[u]stum festum* (cf. P. 87, 19 . . . *fasti enim*

dies festi sunt); J 64 *Inploraberis invocaberis* (? cf. F. 230, 11 ... *inplorare id est invocare* etc.; cf. etiam Plac. V 29, 12); M 175 *Messalla messor* (nihil apud F. et P.); M 176 *Mediusfidius deus Sancus mala aver-tens* (toto caelo distat P. 147, 8!); M 215 *Millum collare[m] canis* (cf. P. 151, 4 *Millus collare canum venaticorum* etc.); N 120 *Nicto latro* (aliter F. 177, 16); P 471 *Plautus* (immo *Petilus*) *gracili corpore* (aliter F. 205, 22; glossam, quacum cf. Nou. 149, 5, apud F. intercidissee suspicatur Lindsay); P 503 *Portisculo malleo* (cf. F. 234, 4 *Portisculus* ... *id autem est malleus* etc.; rectius gl. ad Aldhelm. de laud. virg. 2 rettulit Goetz; v. etiam supra p. 328); S 218 *Seplusium vicus in Campania, ubi sunt unguentarii* <*Seplasiarii, qui ibi sunt*> (cf. F. 340, 28 *Seplasia* ... *in quo plurimi unguentari erant* etc.; cf. F. 317, 5). Tenuissima haec esse concedes operis Festini vestigia, si modo Festina sunt. Rectissime autem Lindsay in adnotationibus (p. 206) monet veteres glossographos adhibitos esse a Verrio Flacco indeque factum, ut simillima saepe existeret Placidi et Ps.-Philoxeni priscorum verborum interpretatio. Quod latius patere mihi videtur. Non enim Verrius solus ex antiquis illis fontibus hausisse putandus est, verum etiam alii sive recta via sive intercedente ipso Verrio Flacco. Qua de re conferenda sunt, quae Goetz supra in capitibus I, VI, VII (§ 22) luculentissime exposuit. Illos autem fontes ne post Augusti et Tiberi aetatem prorsus exaruisse credamus, monent cum alia, tum Iulii Romani capitula apud Charisium servata, monent Nonii de Compendiosa doctrina libri et Placidi qui vocatur glossae breviores, monet denique Priscianus, qui, nisi fallor, ex ipso Arruntio Celso glossam affert talem (GL II 251, 13) ‘*Capis vasis genus pontificalis, diminutive capidula. Lucilius in IX*’ etc. Nonne igitur credibile est iis, quibus fundamenta debemus glossariorum nostrorum (Ps.-Philoxenum inprimis dico et Abolita), aditum quendam fuisse ad illos vetustos optimarum glossarum thesauros? Quae si iusta est ratiocinatio, desinamus oportet ad unum Festum intenti ora convertere, quem etsi minime omnino exclusum esse velim, tamen non pro unico fonte habendum esse iis, quae supra exposui, aliquatenus probavisse mihi videor.

III. DE GLOSSIS VERGILIANIS

Nullum fere esse glossarium latinum, quod non glossarum Vergilianarum numerum contineat sive maiorem sive minorem, res est notissima; quas glossas plerumque exigui esse pretii non minus constat: sunt enim paene omnes eius generis, quod per totum medium aevum in libris manuscriptis conspicuum est, adscriptae scilicet a doctis monachis poetae versus scholarum in usum interpretantibus. Eiusdem prosapiae esse

illas Libri glossarum glossas Vergilianas, quibus nota *Virgili* adscripta est, Goetz et in libello suo notissimo (p. 266 sqq.) et supra p. 114 sq. ostendit; idem v. d. Vsenerum secutus longe diversi generis esse demonstravit haud parvum numerum glossarum, quae nota *De glossis* instructae sine dubio ad Vergili carmina referendae sunt (v. l. c. p. 276 sqq. et supra p. 117) Et pars quidem illarum addito Donati commentatoris nomine originis indicium aperte prae se fert; aliae ita comparatae sunt, ut ad eundem vel simillimum fontem nullo negotio referri possint, praesertim cum non raro accedat consensus scholiorum Vergilianorum, quae aetatem tulerunt. Iam si quaeritur, qua via scholia illa — nam scholia rectius vocantur quam glossae — in vastum illum eruditionis thesaurum pervenerint, hoc unum certum esse videtur ea ab auctore Libri gl. non ex ipsis commentariis esse excerpta, sed translata ex aliquo glossario, id quod fontis indiculo comprobatur. Hoc vero non iam exploratum est, utrum de glossario Vergiliano ex scholiis composito cogitandum sit an scholia illa iam inmixta fuerint glossis diversae naturae atque originis. Hanc alteram sententiam ut amplecteretur, Lindsay commotus est observato quodam inter glossarii Abstrusa glossas Vergilianas et scholia in Vergili Bernensia consensu (v. Aff. 122 sqq.). Velut vol. IV 109, 4 hanc legimus glossam *Ligustra et vaccinia florum genera crocei coloris* (cf. 188, 19 [Abol.?] *Vaccinia genus floris crocei coloris*), quacum comparari potest Philargyrii (Explan. I) ad ecl. II 18 adnotatio (omissis interpretamentis hibernicis) *Ligustra*] . . . *id est flores vel herba*. — *Vaccinia*] *id est* . . . *violae purpureae* . . . [quia usui sunt (pertinent ad 'leguntur')] *vel genus floris crocei coloris vel nigrae*. — *Ligustra et vaccinia*] *id est genus virgulti ambo*. Quamquam hoc exemplum non videtur esse aptissimum: nemo enim non videt verba, quae glossae illi respondent, speciem praebere additamenti pristinae adnotationi inculcati, quo accedit, quod illa de qua agitur interpretatio et in Explan. II et in scholiis Bern. desideratur et omnino tam absurda est, ut vix veteri commentatori possit imputari. Porro comparantur: IV 44, 46 *Corylos avellanas* (= Sang. IV 224, 14) *vel nuces* (= Aff. IV 500, 3) cum Phil. ad ecl. I 14 C.] *id est nuces avellanae* (sed Expl. I habet *i. arbor nucis av.* = Expl. II, ubi praeterea legitur *i. coryli et nuces av.*); IV 45, 14 *Corymbi hederarum bacae* cum Phil. ad ecl. III 39 *Corymbos*] *id est bacas ederarum*; IV 24, 15 *Buccare* (-ne codd.) *herba iocundior* (*iocundi o<do>r<is>*) Linds.; *iocundior* etiam Abav. mai. IV 590, 6; Aff. IV 487, 23; AA V 442, 47) cum Phil. ad ecl. IV 19 *Cum baccare*] *id est* . . . *genus herbae floris et odoris iucundi* (sch. B *g. h. florisve iucundi odoris*); IV 58, 42 *Dumosa spinosa* (aut loca silvestria, cf. cod. c post 58, 46) cum Phil. ad ecl. I 76 *Dumosa*] *id est* . . . (quod [sc. capra] cum pascitur) *spinosa* (*pendet*: duas glossas

contaminatas esse docent sch. B. et Philargyrii in Servii lacuna memoria). Praeterea inter glossas Abstrusa et commentarii Serviani additamenta aliquam necessitudinem sibi detexisse visus est v. d.; confert enim IV 117, 18 *Myricae tamarice* cum S. a. ad ecl. IV 2 *M.*] ... *quod vulgo tamaricium dicitur*; IV 172, 18 *Sine mente sine voluntate* cum S. a. ad Aen. V 56 [*Sine mente . . .*] *sine numine divum*] *sine voluntate et sine auctoritate*; IV 33, 40 *Caerula nigra a cerae colore tractum* (sed codd. *cd* addunt *pulo; est autem nox pallore suffusa!*) cum S. a. ad Aen. III 64 *Caeruleis vittis* (!)] ... *veleres sane caeruleum nigrum accipiebant* etc.; IV 58, 25 *Doris mare* (vel *mater Nereidum aut nymppha* add. *ac*) cum S. a. ad ecl. X 5 (*Doris amara*] *mater nympharum est, quam pro mari posuit* Serv.) vel *Doris Oceani filia, coniunx Nerei* (cf. Phil. *D.*] *id est mater nympharum* et *D.*] *nymppha maritima*, sim. sch. B.); IV 152, 31 *Puer filius; graecum est* cum S. a. ad Aen. III 339 *Puer Ascanius*] *filius, quia Graeci παῖδας etiam filios dicunt*; IV 174, 41 *Spirae nodis* (!), quibus *se ligant serpentes* cum S. a. ad Aen. II 217 (*Spiris*] *nodis . . .* Serv.). *inde et posteriora serpentium spirae dicuntur* etc. Neque cum ipso Servio desunt quae quodammodo conspirent, velut IV 31, 5 *Cana mala lanuginem habentia* (-tem codd.) *id est cydoniae*, cf. S. ad ecl. II 51 *C. . . mala*] *mala dicit Cydonea, quae lanuginis plena sunt*; IV 103, 1 *Kamenae Musae*, cf. S. ad ecl. III 59 *C.*] *musae* etc.; IV 107, 49 *Lebes olla acnea* (ollae om. aen. codd. *cd*), cf. S. ad Aen. III 466 *Lebetus*] *ollas aereas* etc.; IV 109, 12 *Lembus navicella non grandis*, cf. S. ad G. I 201 *Lembum*] *naviculam admodum brevem* (cf. sch. B.; *L. navis piratica brevis* Brev. Exp.); IV 120, 21 *Mulciber ignis, quod omnia mulceat; ipse dicitur Vulcanus*, cf. S. ad Aen. VIII 724 *M.*] *Vulcanus, ab eo quod totum ignis permulcet*; IV 148, 25 *Profugus porro fugatus vel fugitivus*, cf. S. ad Aen. I 2 ... *profugus . . . quasi porro fugatus* etc.; IV 105, 13 *Latex aqua, quae* (vel *quia*) *latet in venis* cf. S. ad Aen. I 686 *latex proprie aqua est ab eo quod intra terrae venas lateat* etc. Atque Servium Donati commento usum esse constat; ad eundem fontem redire additamenta commentarii Serviani tantum non omnia veri est simillimum; Donatum a Philargyrio, a quo pendent Explanationes, scholia Bernensia, Brevis expositio Georgicorum, adhibitum esse coniectura est non improbabilis: iam cum inter haec scholia Vergiliana et glossas Abstrusa necessitudinem quandam intercedere non possit negari, v. d. glossas illas ad Donati commentum referre non dubitat, ita quidem, ut eas ex commentario 'variorum' excerptas esse existimet, cuius auctorem fuisse suspicatur Adamnanum illum, qui in Phil. Expl. I ad ecl. III 90 sic laudatur *De Maevio vero nihil repperi, ut A. ait.*

Libri glossarum auctor quin glossarii Abolita-Abstrusa exemplari usus sit, dubitari non potest (velut inde cum multa alia recepit tum

glossas Iuvenalianas *Ac<oe>nonetus* [-itus codd.] V 162, 14 et *Bascaudas* V 170, 29 = IV 7, 1 et 24, 23). Praeterea autem glossarium nihil nisi Abstrusa continens idque plenius atque integrius, quam in Vaticano 3321 et Cassinensi 439 apparet, adhibitum esse concludit Lindsay ex talibus glossis: V 169, 1 *Arvina caro ferina* = IV 20, 45 et 169, 3 *A. c. pinguis ferina* etc.; V 172, 29 *Biburnus genera sunt virgularum humilium* (= 253, 26 ubi *Vib.* et *virgultorum*) = IV 192, 19 *V. g. virgultorum h.* et 172, 27 *Biburna genus est ligni minutissimi* + 28 *Biburna humilia virgulta et genere et forma a cupresso remota* (= 253, 25 *Vib.*); V 175, 5 *Cana fides antiqua fides* = IV 102, 55 (*Kana f.*; sed cf. IV 28, 38 *C. f. a. f.* Abol. in ordine Vergiliano!) et 175, 6 *Cana fides ideo, quia apud senes fides maxima invenitur*; V 195, 34 *Excreta secunda est velut inerhaustae malitiae hoc est hydram quem veteres nominarunt* et 196, 5 *Excreta plena malitia hoc est ira quam veteres canapum nominarunt* = IV 70, 22 (cf. IV 65, 41). Quibus exemplis num aliqua vis tribuenda sit, satis incertum est; nam altero et tertio loco de glossis Vergilianis agitur, quae nullo vinculo cum gl. Abstrusa coniunctae sunt, nisi quod ad eundem poetae versum (ecl. I 25) spectare videntur, quo accedit quod gl. *Cana fides* (ad Aen. I 292) rectius glossario Abolita adscribitur; de prima vero et quarta ideo dubitari potest, quia in communi Vaticani et Cassinensis fonte (sicut etiam in his libris ipsis factum est) multa omissa esse videntur, quae in archetypo glossarii Abolita-Abstrusa fuisse credibile est. Accedit quod in codicibus, quos modo commemoravi, permultae glossae repetuntur, ita quidem, ut praeter corruptam formam integrior vel emendatior exhibeatur; cf. etiam quam supra indicavi glossam IV 65, 41. Sed haec interim mittamus.

Ab hac quam fecisse sibi visus est observatione Lindsay ad hanc progreditur conclusionem: cohaerent glossarii Abstrusa glossae Vergilianae cum 'Adamnani' commento, quod ex parte quidem ad Donatum redire veri simile est; ad Donati commentum referendae esse videntur Libri glossarum glossae Vergilianae, quae *De glossis* desumptae sunt; adhibuit thesauri illius conditor praeter Abolita-Abstrusa propriam glossarii Abstrusa recensionem eamque et integriorem et uberiores: hoc ergo glossarium fons fuit scholiorum Vergilianorum, quae glossarii Abstrusa auctor ex commentario illo variorum hausit, quem Adamnanus congescit; inde explicandus consensus inter Abstrusa et scholia Bernensia, Philargyrium etc.

Hanc Lindsayi sententiam novis exemplis novisque argumentis fulcire et comprobare conatus est Thomson (Bern. sch. 257 sqq.; Anc. I. 46 sqq.). Atque primum quidem non exiguum numerum glossarum Abstr. exhibet, quo inter illas et scholia Servii, scholia Danielis quae

vocantur, scholia Bernensia (Phil., Expos.) magnam intercedere necessitudinem evinci posse sibi persuasit. Profecto in utrisque saepe eadem reperitur interpretatio textus Vergiliani, id quod ne alios quidem fugit (cf. e. g. Goetz supra p. 123 sq.); sed num ex consensu glossarum simplicium atque trivialium multum effici possit, magnopere dubitaverim: haud raro enim aegre dicas, quomodo verba poetae aliter explicari potuerint. Deinde de doctrina quadam agitur tralaticia, quae utrum ex scholiis derivata an in commentarios recepta sit, non facile est ad diiudicandum. Postremo si illud factum esse concedimus, minime inde sequitur ex 'Adamnani' commento variorum fluxisse glossas Abstrusa; hoc ipse sensisse videtur v. d. (Bern. sch. p. 263), etsi glossas ad fontes illius commenti redire minus probabile esse contendit. Idem difficultatem, quam ex temporum ratione oriri non ignorat, ita remove studet, ut eum existimem non multos habiturum assentientes. Aut enim Adamnanum alium esse suspicatur atque abbatem nobilissimum anno 704 mortuum aut glossarium Abstrusa incredibili quadam celeritate per terras divulgatum esse sibi fingit. Atqui codex Vaticanus 3321 non ita multo post abbatis mortem scriptus esse videtur; cuius libri memoria iam satis remota est a pristina glossarii Abstrusa forma, qualis ei praesto fuisse putanda est, qui septimo saeculo in Hispania Abolita et Abstrusa in unum corpus coadunavit. Intra paucissimos igitur annos Adamnani commentarios Vergilianos in Galliam translatos, ab auctore glossarii Abstrusa expilatos novumque glossarium amplissimum in Hispaniam transvectum esse sumamus necesse est: quod equidem ut credam persuadere mihi non possum. Accedit alia res: minime enim constat Adamnanum eum fuisse, qui scholia Vergiliana ad eclogas et Georgicon libros spectantia 'de commentariis Romanorum id est Galli et Gaudentii et maxime Iunii Philargyrii Mediolanensis congregavit'; nam ex illa quam supra commemoravi adnotatione nihil sequitur nisi habuisse abbatem in manibus talem scholiorum collectionem, quam hibernicis glossis et Christianis aliquot notis auxisse videtur. Praeterea scholiorum collectio, a qua pendent scholia Bernensia, Explanations, Expositio, iis quae dixi Vergili carminibus continetur, eamque etiam ad Aeneidem olim pertinuisse mera est coniectura; glossae autem Abstrusa ad omnia Mantuani vatis opera spectant. Vides ergo omnem rem incerta esse incertiore, qua de causa Adamnanum eiusque commentum variorum valere iubemus.

Melius erit a Libro glossarum proficisci, cuius ingens materies in partes quattuor dividi potest: earum prima desumpta est ex diversis auctoribus (v. Goetz 'Der L. gl.' 256 sqq.), inter quos principem locum obtinet Isidorus; altera amplectitur glossas Placideas, tertia glossas Vergilianas (*Virgili*); quae restat quarta, ea ex glossariis derivata est, id

quod indicatur nota *De glossis*. Minime autem is, cui vastum illud lexicon debemus, omnem materiem ipse conguessit: partem enim haud exiguum iam ab alio comportatam fuisse testis est codex Parisinus nov. acq. 1298 s. XI, quem non integrum servatum esse valde dolemus. Hoc libro quae continentur, alteri et quarto quod modo distinximus generi glossarum respondent, ita quidem, ut dubitari non possit, quin ad idem glossarium archetypum redeant et Parisini collectio et Liber glossarum. Fundamentum efficitur glossis quarti generis, quibus glossae Placideae postea ita insertae sunt, ut fere ubique continui ordines appareant, quos proprio signo (*De Placido?*) notatos fuisse in archetypo est cur suspicemur. Hac una re glossarium Parisinum a Libro glossarum differt, quod non paucas glossas Vergilianas continet, quae ab altero glossario abesse videntur; harum in locum aliae glossae ad eundem poetam spectantes successerunt, quas tertio genere supra comprehendimus. Accedit numerus non ita magnus vocabulorum graecorum, velut *gelos*, *melanchrus*, *meleto*, *melas*, *naophylax* sim., quae fortasse eidem debentur, qui glossas illas Vergilianas (interdum ordine versuum servato: cf. V 141, 28 = Aen. I 59; 31 = I 483; 32 = II 305; 33 = II 356; 34 = II 374; 35 = II 545; 38 = III 392) inseruit. De reliquis huius libri glossis singularibus difficile est diiudicare, utrum ex archetypo translata an a retractatore addita sint. His omnibus resectis quae relinquuntur si cum Libri glossarum ea parte comparamus, quae 'De glossis' desumpta esse videtur, facile cognoscimus huius thesauri materiem multo esse uberiores. Quae res tribus modis explicari potest: aut enim ea, quibus L. gl. Parisinum superat, in archetypo fuerunt et a Parisini auctore omissa sunt aut ab eo, qui Librum gl. composuit, ex aliis glossariis petita sunt aut denique utrumque factum esse sumendum est, id quod proxime ad veritatem accedere crediderim. Nam exhibet L. gl. haud paucas glossas eiusdem prorsus generis atque prosapiae, cuius sunt quas cum Parisino habet communes; praeterea autem sunt quae moneant a Libri gl. conditore alium fontem sive alios fontes glossographicos esse adhibitos. Nolim hic premere, quod nota illa 'De glossis' plures fontes indicari videntur, quorum unus fuit ea glossarii archetypi pars, quam huius fundamentum fuisse supra dictum est; plus ponderis tribuendum est iis glossis, quae in aliis glossariis inveniuntur, velut in Amplonianis, Sangallensi, Abavus, Affatim, quae aliqua necessitudine cum glossariis Abolita et Abstrusa coniuncta sunt. Accedunt glossae non ita multae, si Goetzii excerpta veram rei imaginem praebent, quae ex alia glossarum Abstrusa recensione haustae esse possunt, atque illa est quae in libris contaminati glossarii apparet. Sed cum satis exiguus sit numerus exemplorum vere huc pertinentium, quem ut aliquantum augerem frustra operam dedi, res interim in medio

relinquatur necesse est, praesertim cum pristina glossarii Abstrusa-Abolita forma nondum satis sit explorata.

Ex hoc autem glossario quin ille hauserit qui glossarium archetypum composuit, dubitari non potest. Quamquam glossas Iuvenalianas, quas supra in Libro gl. exstare commemoravi, hic adhibere non possumus, quippe cum liber Parisinus ab initio mutilus sit. Nihilominus rem certam esse his credes exemplis: V 117, 11; 12; 13; 27; 31 = IV 118, 9; 10; 14; 34; 33; V 118, 27 = IV 121, 19; V 119, 43 = IV 122, 52 a et 124, 2; V 120, 39 = IV 124, 1; V 134, 14 = IV 136, 32; V 140, 41; 42 = IV 159, 18; 158, 37; V 144, 23; 24; 25; 26 = IV 164, 22; 27; 31; 32; V 150, 12 = IV 171, 44 + 43 = 172, 37. Haec et alia glossis Abstrusa intermixta testimonio sunt eum, qui fontem Parisini composuit, usum esse glossario Abstrusa et Abolita contaminato.

Quod ad Isidorum attinet, viginti fere glossarum Isidorianarum, quas Parisinus exhibet, si Goetzii excerpta ex Libro gl. comparamus, duae vel tres tantummodo ibi reperiuntur, cum amplius nonaginta huius thesauri glossae, quas ille v. d. elegit, ad Isidori opera referri possint: quod num casui debeatur, nescio. En habes glossas communes:

Paris.	L. gl.	Isid.
V 120, 35 <i>Nequam ex eo quod nequam sit, id est ex eo quod nicil sit, veteres dictum esse voluerunt.</i>	V 226, 6 <i>Nequitiam ex eo quod nec quicquam sit, id est ex eo quod nihil sit, veteres dictum esse voluerunt.</i>	Or. X 187 <i>Nequam ex eo quod nec quicquam sit, id est ex eo quod nihil sit, veteres dictum esse voluerunt.</i> (<i>Nequitiam</i> cod. Isid. T man. 2; idem est pro <i>esse</i> .)
142, 49 <i>Remex</i> <i>, quomodo tubex, dicitur nominativo casu.</i> <i>non autem tubex, sed tubicen dicendus est, † et tubicen, cornicen.</i>	V 240, 22 <i>Remex dictus, quod remum gerit. sic autem remex, quomodo tubex, dicitur nominativo casu.</i> <i>non autem tubex, sed tubicen dicendum est, ut † tubicen, corricen.</i>	Or. XIX 1, 6 <i>Remex vocatus, quod remum gerit. sic autem remex, quomodo tubex dicitur nominativo casu.</i>

Tertiam adderem glossam V 157, 21 (*Teterrimus*) = Isid. Or. X 270, nisi eadem in Libro gl. notam *esidori* haberet; quae nota etsi postea addita esse potest ab eo, qui iterum Isidori copias arcessivit, tamen res admodum dubia relinquatur. Priorem glossam ad Ciceronis Tusc. disp. III 8, 18 redire (qui Varronis de l. l. X 81 sententiam reddit) veri non videtur esse dissimile; altera fortasse ex scholiis Vergilianis hausta est (cf. Serv. ad Aen. V 116), sed aut recentioris aetatis est aut Isidorus fontem negligenter exscripsit (*quomodo et obex* Areval.). Vtut est, habemus grammaticum, qui mirum illum nominativum, in quo episcopus non

offendit, suo iure reiecit. Sed quis fuit ille grammaticus? is qui archetypum glossarium contulit an fontis, quo ille usus est, auctor? Contenderit enim quispiam non ex Isidoro pendere illius glossarii conditorem, sed utrumque ex eodem fonte hausisse, quem episcopus non integrum reddidisset. Profecto hic summam tetigimus difficultatem, quae num omnino ita expediri possit, ut nulla relinquatur dubitatio, res esse videtur perquam dubia. Neque tamen omnis spes statim abicienda est; ipse enim L. gl. quasdam nobis praebet ansas, quibus usi aliquantum proficere possumus. Etenim si recte conicimus ab archetypi glossarii auctore Isidorum esse adhibitum, in Libro gl. exspectare debemus glossas Isidorianas nota *De glossis* insignitas. Quod revera ita se habere vel exempla a Thomsonio allata satis docent: cf. gl. *Facilis* (ad G. I 79) = Isid. Or. X 98; *Aequora* (ad G. I 50) = Isid. Diff. 66; *Mus* (ad G. I 181) = Isid. Or. XX 3, 4; *Tantalus* (ad G. I 364) = Isid. Or. XII 7, 21 (leviter retract.); *Mulsum* (ad G. IV 101) = Isid. Or. XX 3, 10; *Consors* (ad G. IV 153) = Isid. Or. X 37; *Frendere* (ad G. IV 452) = Isid. Diff. 226; *Manes* (ad G. IV 489) = Isid. Or. V 30, 14; *Lampadus* (ad Aen. III 637) = Isid. De n. r. 8, 2; *Trochleae* (ad Aen. V 77) = Isid. Or. XIX 2, 9/10; *Tautanos* (ad Aen. VII 741) = Isid. XVIII 7, 7. Accedunt aliae glossae ipsae quidem fontis indiculo carentes, quae tamen glossam sequuntur nota *De glossis* instructam; huc pertinent *Fulica* (ad G. I 363) = Isid. Or. XII 7, 53; *Qualos* (ad G. II 241) = Isid. Or. XX 14, 13; *Animatus* (ad G. II 441) = Isid. Or. X 7; *Virus* (cf. Th. ad G. III 281) = Isid. Diff. 601; *Riphaei montes* (ad G. III 382) = Isid. Or. XIV 8, 8; *Canistrum* (ad G. IV 280) = Isid. XX 9, 8; *Stagnum* (ad Aen. I 126) = Isid. XIII 19, 9. Quas glossas Thomson ex parte quidem ex episcopi operibus pendere concedit. Comprobatur autem haec sententia vel inde, quod hic illic miri errores, qui apud Isidorum exstant, in Libro gl. repetuntur. Velut Or. XX 14, 13 habes *Qualos* (= G. II 241) *corbes* ('colaque prelorum' = G. II 242), *per quos mustum fluit, a colando dictos*, quae ex scholio, quale Servius exhibet (*Colaue prelorum*) *qualos, per quos vinum defluit, qui et ipsi a colando dicti sunt*, non aptissime excerpta esse nemo non videt: ad verbum consentit L. gl.¹⁾; Or. XX 3, 10 cod. T (Toletanus) pro *mixtum* exhibet *dictum*: eundem errorem in Libro gl. legimus; De n. r. 8, 2 codices Bambergenses A et B variam lectionem *lampadas* pro *lampas* exhibent, quae et ipsa in Libro gl. invenitur; cf. etiam gl. *Calones* (ad Aen. I 39), quae nota caret, cum Isid. Or. XIX 1, 15: utrobique mirum legitur additamentum *naviculae*, quod apud Servium ad l. c. quem episcopus ex-

1) Nisi quod *mustus* et *dicta* habet, unde in errorem ductus est Th. (Notes 90), qui duas glossas, *Q. c.* et *Colaue pr.* — *dictu* distinguit. At quo referes illud *per quos mustum fluit*? Isidori autem *dictos* (-us cod. T) confirmatur Servii verbis.

scripsisse videtur, plane desideratur et sine dubio Originum exemplari debetur. Hic addere liceat glossam V 253, 37 (*Vir*) ex Abstrusa-Abolita (cf. IV 142, 49 + 48) desumptam, cui *De glossis* adscriptum est, auctam esse ex Isid. Or. XI 2, 18 et Diff. r. 83, qui se ipse Lactantio De op. dei (12, 16 sq.) usum esse testatur. Ad postremum in Libro gl., id quod rei quasi cumulum addere videtur, saepenumero eadem glossae, quae ex glossario archetypo translatae sunt, iterum proferuntur ex ipsis Isidori libris excerptae et auctoris nomine ornatae.¹⁾ Quae cum ita sint, dubitari vix potest, quin iam is, qui illud glossarium composuit, episcopi Hispalensis copias suum in usum converterit.

Quae glossae praeterea nota illa *De glossis* ex archetypo glossario in Librum gl. receptae esse produntur, eae maximam quidem partem eo vinculo continentur, quod ad Vergili carmina aut aperte spectant aut non sine aliqua probabilitate revocari possunt. Neque tamen omnes, quod ad externam formam attinet, eiusdem generis sunt: modo enim poetae versus, cui glossa olim adscripta erat, subnexus est, modo omissus; hic Donati nomen originem prodit, illic consensus scholiorum Vergilianorum, quae aetatem tulerunt; reperiuntur etiam, quibus alii sive Vergili sive aliorum auctorum loci apponuntur. Exempla afferre supersedeo, quippe quae facillime invenire possit qui vel glossarium Parisinum cum Libro gl. contulerit vel amplissimam Thomsoni syllogem perlustraverit. Videantur autem excerptae esse illae glossae ex codice Vergiliano scholiis uberimis instructo, quae scholia quin non omnia eiusdem fuerint originis atque pretii, dubitari non potest. Nam ut satis magnam partem nullo negotio ad vetustos commentarios revocare possumus, ita multa esse intermixta, quae recentiori aevo adscribi debeant, nemo non videt: cf. e. g. V 106, 1 *Gelonos gens Arabum* (ad G. II 115, unde mira interpretatio hausta); 119, 7 = 225, 4 *Nais genus herbae*. *Virgilius* (ecl. II 46) '*tibi candida nais pallentes violas*'; 126, 3 = 229, 2 *Olenae Olenaeus ad quem Vergilius* (G. II 4) *loquitur pro omnia genera frugum* (!), etc. Talem fontis conditionem non mirabitur, qui meminerit ad alios poetas simillimam in libris manuscriptis inveniri congeriem scholiorum optimorum et vilissimorum. Iam fac illum, qui archetypum glossarium composuit, in eiusmodi codicem incidisse indeque excerpsisse, quae ei ad propositum apta videbantur: facili opera omnia expediuntur. Neque vero ille Vergilianum librum inspicere satis habuit: sunt enim quae doceant ex aliis quoque auctoribus eum collegisse quae memoratu digna iudicabat. Ac

1) Huc inter alia pertinere videtur glossa *Iaculum*, quam tractavit Mountford (Lib. gl. XV 193). Ea ut ex Isidoro Or. XIX 5, 2 exscripta est, ita fontis indiculum habet *Isidori*; sed ad eundem Originum locum redit glossa *Iaculum* Parisino et Libro gl. communis V 110, 16 = 209, 12.

primum quidem Lucani codicem glossulis instructum ab illo adhibitum esse pro certo affirmari potest; nam etsi constat inde a Servii temporibus Lucanum in scholiis Vergilianis saepissime esse laudatum, tamen non modo non est cur glossas Lucaneas ex tali fonte desumptas esse sumamus, verum etiam sunt quae nisi ad ipsum Lucanum referri nullo modo possint, velut V 112, 13 *Lemannus*; 113, 11 = 218, 27 *Limfato*; 114, 21 = 219, 32 + 27 *Lurida*; 174, 5 *Chalybem*; 147, 37 = 243, 27 *Scrobem* (cf. Adnot. sup. Luc. ad VIII 756; glossator rem invertit, cf. Serv. ad G. II 288); al. Deinde ex Statii codice non solum glossas aliquot excerpserit, sed etiam Thebaidos versus X 84—98 in collectanea sua transtulit; minime enim Thomsonio crediderim hos versus olim in scholiis Vergilianis ad G. II 469 adnotatos fuisse, neque magis voci 'puto', quae in glossa legitur, eam vimtribuendam concesserim, ut ipsius Donati manum agnoscamus, quae viri docti videtur esse sententia. Donatus, quantum scimus, Statium non curavit, qui demum apud Servium saepius laudatur. Quodsi V 166, 10 loco Vergiliano, ad quem spectat glossa, adscripta sunt Statii Theb. IX 769 verba, haec ad schol. Verg. ad Aen. X 564 referre non opus est, siquidem a glossarum collectore addita esse possunt. Ceterum moneo glossam *Vidui clavi desolati gubernaculi navis. poeta 'subit a<d> vidui moderamina clavi'*, quam Thomson ad Verg. G. IV 518 adscripsit, ad Stat. Theb. X 183 referendam esse; cf. V 186, 29 *Crinalem cerastim serpentem de capite pendentem. poeta* (Stat. Th. XI 65) '*crinalem attollit longo stridore cerastim*'. Porro codicis Terentiani in usum vocati certum mihi detexisse videor vestigium in glossa V 190, 5 *Dis dives. Terentius* (Ad. 770) '*si dis quidem esses, Demea*', ubi si nihil est nisi personae nota *SY(RVS)* male intellecta et per errorem in collectanea translata; alias glossas Terentianas habes V 108, 18 = 207, 14; 123, 7 = 227, 22; 190, 2; 191, 30; 215, 2; 249, 37. Diversi generis sunt glossae Terenti versibus illustratae hae: V 145, 29 = 241, 26 (cf. Serv. ad G. I 105; Aen. XII 453 c. sch. Dan.); 187, 1 (cf. Serv. ad ecl. III 1); 189, 32 et 33 (cf. S. Dan. ad Aen. I 73): quas glossas ex scholiis Vergilianis desumptas esse in propatulo est; dubitare possis de glossa 205, 42 (cf. S. Dan. ad G. I 151; Don. ad Ter. Eun. 79 et Hec. 2). Ad scholia Vergiliana sine dubio aliorum quoque auctorum loci in glossis allati referendi sunt, inprimis Sallustiani (cf. Goetz 'Der Lib. gl.' 280). Glossis Vergilianis, quibus Horatius laudatur (V 187, 23, cf. Serv. ad G. III 539; 214, 26), addi potest V 236, 9 *Prelum. Horatius 'et prelo domitam Caleno tum bibis uvam' pro vino dixit*: spectare enim videtur ad Verg. G. II 60, ubi Servius eosdem versus affert.

Ad eundem fontem redire plerasque glossas, quibus Varro, Plautus, Lucilius, Lucretius laudantur, cum omnino probabile est, tum scholiorum servatorum testimonio saepius confirmatur; paucae restant, in qui-

bus dubites, velut in Plautinis V 176, 10 *Catamitum*; 236, 14 *Proluit*, quae ex codice Plautino desumptae esse possunt. Idem fortasse valet de glossa Ciceroniana V 232, 29; de Sallustianis V 220, 29; 251, 3. Non enim incredibile videtur auctorem glossarii archetypi sibi inter legendum quaedam enotasse, quae condendo operi insereret. Huc ni fallor spectat glossa V 121, 24 = 226, 23 *Nitela. Solinus* etc. (cf. ed. Momms. p. 218, 27); fortasse eodem referendae glossae V 223, 18 (*Dracontius*); 236, 7 (*Sedulius*); aliae. Sed haec iam mittamus. Restat, ut de iis glossis breviter disseramus, quibus Donatus nominatur. Eas ad grammatici commentarios Vergilianos redire recte perspexerunt viri docti. Sed cum paene extra omnem dubitationem positum sit permultas huius glossarii glossas Vergilianas, quae quidem cum Servio et scholiis Danielinis consentiant, ex eodem fonte fluxisse, quomodo explicabitur, quod paucis tantummodo locis auctoris nomen laudatur? Rectum vidisse putaverim Lindsayium, qui (Abstr. 128) non ex ipso Donati commento glossas excerptas censet; accuratius mea quidem sententia Thomson (Anc. I. 58) rem definivit: suo enim iure contendit et glossas et scholia non tam ex ipso Donati opere esse haustas quam ex commentariis a nescio quo non multo post Donati aetatem retractatis: qua in re bene ei convenit cum Barwickio, qui tales commentarios a Donateis paulum diversos et circa annum 400 confectos fontem scholiorum Vergilianorum praeter Servium fuisse censet. Sed hanc quaestionem hic pluribus exsequi nolo; id unum addam glossis hic illic integriorem scholiorum formam esse servatam, quod e. g. comparatis scholiis Dan. ad Aen. IV 262 (*alii ... alii*) et glossis V 215, 4 = 216, 19 (*Iulius Suavis ... Suetonius*) optime cognoscitur.

Constat igitur eum, qui glossarium archetypum condidit, praeter alios fontes scholia Vergiliana cum Danielinis artiore vinculo coniuncta suum in usum vocasse, neque dubitari posse videtur, quin qui Librum gl. composuit, ex illo glossario multo plura deprompserit quam is, qui codicem Parisinum exaravit; Parisinus enim multa contractionis vestigia ostendit exceptis fortasse iis partibus, quae ad Placidum spectant, quamquam ne hic quidem illum nihil omisisse procul dubio est (cf. Goetz, Ind. Ien. 1886, VI). Difficilius est glossas Libri gl. Vergilianas, quae ad vetustos commentarios redeunt, certis ubique circumscribere finibus, quia non raro scholia Serviana et Danielina, quorum auctoritas in hac re plurimum valet, nos plane destituunt; qui vero relinquuntur testes, scholia Bernensia (Philarg.) dico et Isidorum, ii non tam fideles sunt, ut omnis dubitatio excludatur. Nam scholia illa non omnia ex antiquis fontibus manasse, immo multa inmixta esse, quae recentiore aetate sapiant, primo statim obtutu nemo est quin cognoscat; in Isidoro autem, quem non solum ex Servio, sed etiam ex alio vetusto commentario Vergiliano

hausisse satis iam exploratum est, periculum est, ne ad communem fontem referamus, quae ex ipsius operibus per glossarium illud archetypum in Librum gl. derivata sunt. Minime enim nota 'De glossis' sive adscripta sive subaudienda Isidorum ipsum excludi post ea, quae supra exposui, neminem spero non esse concessurum.

Relinquitur una quaestio eaque non ita magni momenti, utrum glossarii archetypi auctor glossas ex integro atque continuo commentario Vergiliano delibaverit an ex scholiis codici Vergiliano adpersis. Hanc alteram sententiam per se non esse inprobabilem supra iam indicavi: comprobari videtur glossa quadam Libri gl., quam Thomson ad vetustum fontem revocare non dubitat: legitur enim in illo thesauro (Goetz hanc glossam non recepit) *Thiasus* (leg. -os) *thiasi chori* (-os vel -osi codd.) *sacra dicentium* (duc- Thoms.) *Liberi patris. et* (hasta add. Thoms.) *gestamen in sacris* (-orum codd.) *erat* † *ut vitibus uuae* †, cuius glossae vel potius glossarum ad Verg. ecl. V 30 et 31 pertinentium ultima verba per errorem ex versu 32 Vergiliani carminis transcripta sunt. Sed cum in scholiis similia non reperiantur, res incerta est. Ex duplicibus autem glossis vel scholiis, velut V 189, 32 et 33 (ad Verg. Aen. I 73, cf. schol. Dan. et Serv.), non statim concludi potest duobus codicibus diversis usum esse eum, qui haec collegit.

Omnia si iam comprehendimus, haec fere statuenda videntur: col-legit nescio quis 1) glossas ex glossario Abstrusa-Abolita desumptas, 2) glossas Vergilianas varii generis et pretii, Lucaneas, Statianas, quibus addidit 3) glossas, quas inter legendum ex diversis libris (in quibus etiam Sacra scriptura fuisse videtur) sibi enotaverat, et 4) quae ex Isidori operibus memoratu digna iudicabat; hoc quasi operis sui fundamentum auxit glossis Placideis, quas in ordinum calcibus continuas adiecit paucis alio loco suppletis. Huius glossarii archetypi epitome servata est codice Parisino; prioris operam suscepit is, qui Librum glossarum ita condidit, ut illud glossarium totum, quantum videtur, suum in usum converteret, qua in re glossas Placideas auctoris nomine indicavit, reliquas nota 'De glossis' comprehendit; eandem notam eis adiecit, quae ex aliis glossariis (e. g. Abstrusa [?], gl. bibl.) assumpsit, cum ingentem molem, quam ex aliis fontibus ad amplificandum opus congegisset, singulis auctoribus vel libris, quos adierat, fontium indiculis appictis assignaret. Hos indiculos, cum amplissima materia ad severiorem alphabeti ordinem redigeretur, hic illic delatos, commutatos, omissos esse nemo mirabitur; idem in transcribendo saepius usu venisse et consentaneum est et ex comparatione librorum manuscriptorum luce clarius apparet. Sane huius rei rationem habere debet, qui singulas glossas ad suum quamque fontem revocare volet; cavendum tamen est, ne praeoccupata

mente hunc laborem suscipiamus, quod periculum Thomson non ubique vitavisse mihi videtur, inprimis cum notam 'De glossis' Isidorianis praescriptam suo loco movere studet (cf. quae supra attuli exempla). In univ-
ersum prospero successu v. d. antiquorum commentariorum reliquias ex Libro glossarum protraxit; de eis vero, quae ex glossis Abstrusa con-
gessit, saepissime magna existit dubitatio, non solum num ex vetustio-
ribus commentis hausta sint, sed etiam num omnino ad Vergili carmina
referri possint (quod idem de nonnullis glossis, quas ex Libro gl. attul-
lit, valere monuerim). Quid enim ad Vergilium glossae IV 189, 29 *Vecors
ineptus corde* et L. gl. V. *sine corde sive vitiato corde* (Aen. X 583 '*ve-
sano*'!) vel, ut luculentius afferam exemplum, IV 104, 3 *Lanius*, 104, 4
Lancinat, 104, 5 *Lanista*, 104, 9 *Lancinaverunt*, 104, 11 *Lancinata cute*
(G. III 514 '*laniabant*'!)? quid glossa IV 33, 40 *Caerula*, quam non ad
G. I 236, sed ad nescio cuius auctoris verba '*caerula nox*' pertinere ipsa
testis est? Alibi interpretatio minime quadrat ad sensum, qui poetae
loco inest; cf. IV 34, 21 *Ciebo vocabo, clamabo* cum Aen. IV 122 '*tonitru
caelum omne ciebo*' vel IV 8, 35 *Adnuat consentit, favet, adquiescit* cum
Aen. IV 128 '*adnuat atque dolis risit*', sim. Eiusmodi permulta maximam
partem ex glossis Abstrusa petita ex collectione scholiorum Vergiliano-
rum removenda sunt. Idem cadit in alias glossas, quarum verum fontem
Thomson non agnovit. Velut eum fugit tertiam glossam, quam ad ecl.
II 31 adscripsit, Placidi esse et vol. V 27, 11 = 90, 22 legi; ad eundem
redit glossa ad Aen. IV 166 adnotata *Pronuba — coniunctionis* = V 95, 6,
quae praeterea exstat V 38, 1 et 138, 30 (ordo Placid.), ubi recte *quae-
que nubentem viro coniungit*; Placidi ni fallor est etiam gl. ad Aen. XII 35
Recalent, nam cod. Parisinus eam in continuo ordine Placideo exhibet
V 144, 4. Ex Isidori De n. r. 4, 4 (qui Augustinum exscripsit) pendet
gl. V 199, 21 (ad G. I 43 eam rettulit et praeter necessitatem mutavit
Th.); ex eiusdem auctoris Orig. XVII 7, 67 desumpta est gl. (ad G. II 88)
Volacmis — involare dicimus, id quod et miro nominativo et verbis *genus
olivae* confirmatur, quae nisi ex Isidoro fontibus neglegenter uso intel-
legi non possunt; ad Aen. I 330 apud Thomsonium legimus glossam *Felix
dicitur — felix eventus* ('*Esü.*'!), quae non ex Orig. X 97, sed ex Diff.
72 exscripta est (ubi deest quod Th. addi iubet *per quem*!); ad Isid.
Or. X 90 referenda est gl. V 195, 26 (ad Aen. I 484 sec. Th.), ad Or. X 158
gl. *Labens — celerior est* (ad Aen. II 14), ad Diff. 307 gl. *Focus — dictos
a fotu* (ad Aen. III 134; cf. Or. XX 10, 1), ad Or. X 7 gl. V 163, 43 (ad
Aen. VI 173), ad Or. XI 3, 29 gl. *Gorgones — in lapides* (ad Aen. VI 289;
verba *fungunt poetae fuisse* excerptor supplevit, cf. V 177, 6; 219, 11;
255, 21), ad De n. r. 1, 4 gl. V 236, 10 (ad Aen. XII 779), al. Ad Augusti-
num De c. d. XVIII 21 redire videtur glossa *Aventinus — dictum Aven-*

tinum ('*Eutrop.*' cf. Goetz, '*Der Lib. gl.*' 264), ubi ex illo corrigendum est *alii sane noluerunt* etc.; a Thomsonio ad Aen. VII 657 adscripta est. Ex Audacis grammatica G L VII 354, 15 sine dubio prodiit gl. V 248, 16 (ad Aen. X 210 Th.; de Audace cf. Goetz l. c. 266); ex Capri qui dicitur Orthographia G L VII 98, 1 gl. *Lactens quod lacte alitur* — *laudas brachia* (ad G. I 315), quod communibus corruptelis satis comprobatur (de emendanda glossa cf. Mountford, *Lib. gl.* 194); de eodem fonte cogitandum est in glossis V 221, 22 (ad ecl. VIII 65 Th.), cf. Gr.L. VII 96, 7, et V 214, 13, cf. l. c. 100, 1.¹⁾ Quodsi Thomson similitudinem ex Flavi Capri libris repetere conatur, quoniam Servium illis usum esse constat, hoc non magis ei crediderim, quam si glossam *Faunorum modorum*, quae aperte Placidea est = V 22, 8, propterea quod *De glossis* in Libro gl. adscriptum est, ex Donati, qui Cornuto sit usus, commento oriundam suspicatur, quoniam Cornuti mentio facta sit in glossis Placideis V 29, 4 et 33, 10 = 77, 18 et 82, 20 = 116, 5. Eiusmodi ambages nemo opinor probabit.

Haec de Libro glossarum sufficiant. Sed quid tandem iudicandum est de glossario illo '*Abstrusa maior*', quale Lindsay et Thomson animo sibi finxerunt? Quicumque Thomsoni syllogen perlustrabit, eum non fugiet glossarum vere Vergilianarum duo genera satis clare posse distingui: ab altera parte stant glossae brevissimae atque simplicissimae, quales inter lineas librorum adscribi solebant, ab altera glossae et ampliores et plerumque doctiores, quae rectius cum scholiis in marginibus codicum adnotatis comparantur. Hoc genus Libri glossarum proprium est, illud paene totum ex glossario *Abstrusa* petittum, cuius generis glossas sive hac sive illa via etiam in Librum gl. transisse constat. Nullo autem alio vinculo duo illa genera inter se coniuncta sunt, nisi quod alterum (scholia dico Libri gl. vel potius glossarii archetypi) ex vetustioribus commentariis Vergilianis si non totum, at certe maximam partem excerptum esse videtur, alterum autem aliquotiens cum scholiis Vergilianis, quae aetatem tulerunt, plus minusve consentit. Quod qui commode explicari possit, supra indicavi. Minime vero inde concludere neque debemus neque possumus scholia illa ex glossario *Abstrusa* integriore esse petita, quod quominus sumamus, obstant quae de Libri gl. et glossarii archetypi origine atque compositione enucleavisse nobis videmur.

IV. DE GLOSSARIIS IVVENALIANIS

Cum novam scholiorum Iuvenalianorum editionem praepararem, fieri non potuit, quin etiam ad glossaria Iuvenaliana animum adverterem,

1) Quae Rees, *Class. Quart.* XVI 106, exposuit, mihi non innotuerunt.